cam Tuos, faciliûs demitteris; tûm firmiſsimus ille Benevolentiæ, & Adfectus Tui vigor, totâ terrarum mole obruendus nunquam, totis Oceani vndis nunquam extinguendus: vt in Te pleniſsimê cadat Venuſinum Oraculum,

*Cœlum, non animum mutant,*
*qui tranſmare currunt.*

Hæc ſunt in cauſa, quare, cum ſolennem iſtam Recitationem ad §. *ſed, & illud Inſtit. de adopt.* quâm in Cæſar-Auguſtanâ Academia, frequentiſsimo, graviſsimoque Conſeſſu habui, in publicam lucem mitto, Patronum Te, & Mecœnatem appello, præſentiſsimum, potentiſsimumque Tuum ambiens Patrocinium: vt quæ benignum aurium, linguarumque favorem, intra vnius, ampliſsimi licêt, Theatri parietes, experta eſt me dicente; tacente me parem oculorum, mentiumque plauſum, Tuo vbique Præſidio experiatur. Et ſanê experietur certiſsime: ea eſt enim capaciſsimæ Tuæ Mentis magnitudo, cultuſque, ea Iudicij Tui gravitas, & maturitas, vt quibus placuiſſe, probarique Tibi contigerit, placere, & probari omnibus neceſſe ſit.

Per amplam inditam Tibi â natura Mentem



exercuiſti adeô, & liberalibus ſic excoluiſti diſciplinis, diligentiſsima præſertim, & admirabili Iuris Civilis cognitione, vt abditiſsima Themidis adyta penetraſſe Te, eiuſque inter Myſtas Principem obtinere locum, negare iure nemo poſsit. Amavit Te primum Iuriſprudentiæ ſtudioſum Cæſar-Auguſtana Academia; ſuſpexit deindê publicê non modo dexterrime diſputãtem, ſed & Cæſarea Oracula pro Suggeſto fœliciſsime interpretantem. Venerantur omnes locupletiſsimum, eruditiſsimumque Tuum ad *Leg.12. Cod. de Religioſ. & ſumpt. funer.* Commentarium, in ſummis tamen graviſsimarum rerum Curis, inque ipſa Madritenſi Curia, vbi earum Patronum agebas, horis ſubſecivis elaboratum: ſummis extollunt laudibus perplures doctiſsimas Allegationes, quas in ſummi momenti Cauſis opportuniſsimê ſcripſiſti. O admirari, & exoſculari liceat omnibus deſideratiſsimos, quos in dies paras, in Aragonij noſtri Regni Foros, & Regia Iura Commentarios!

Prudentiſsimam verô Iudicij Tui maturitatem vocaliſsimê prædicant per difficiles cauſæ, quas Tuæ Curæ commiſſas fœliciſsimê tran-

legiſti. Vtquè cæteras taceam, imortali Tui Nominis celebritate ſuſcipietur ſemper illa, quâm Cæſar-Auguſtana Academia Tibi vni ex tot præclariſsimis ſuis Alumnis demandandam cenſuit, cum Te pro extinguendis inveteratis, & vtrinque ſumma contentione agitatis litibus ſuper Metropolitana Sede vtriuſque huius Vrbis Eccleſiæ B. MARIÆ Columnatæ, & Sancti Salvatoris, ad Auguſtiſsimam Marianam Auſtriacam, pro CAROLO Filio, Rege Catholico Regentem ſuo nomine legavit. In qua Cauſa, quâm egregiam navaris operam, tûm ſcribendo, tûm agendo donec ſuprema Summi Pontificis authoritate, vtraque Eccleſia in vnam Metropolitanam Sedem erecta, & vnita eſt, latet neminem, nec vlla vnquam delebit oblivio, quando Te Regio Iuſſu Bullam Vnionis afferente, eiuſdemque executionem penitûs vrgente, & obtinente, inteſtina Cæſar-Auguſtana diſſidia funditus everſa, & deleta ſunt.

Quoniam verô otioſum prorſus eſſet reliqua luculentiſsima maturiſsimi, & fœliciſsimi Tui Iudicij teſtimonia, quæ plurima afferri poſſent, fuſiore calamo perſequi, quando laudare

re poſſum graviſsimum, præclariſsimumque de Tuo Iudicio Iudiciũ pręſtantiſsimi noſtri Sęculi Herois, digniſsimi Regis Adminiſtri, quem ſuperiora vnquam tempora venerata ſunt, Aragonij illuſtriſsimis naturæ, & induſtriæ ornamentis, Excellentiſsimi, inquam, Domini Ducis de la Palata, Regi Catholico â Conſilio Status, Peruani Pro-Regis, & Summi Bello Præfecti, Don Melchioris de Navarra, & Rocafull, (cuius glorioſiſsimam memoriam levitêr attingere debitiſsima ipſi prohibet obſervantia, calamus tamen obſequentiſsimo auſu in eius nomen involavit) ſufficiat caput vnum eius litterarum ad Excellentiſsimum Dominum Don Petrum de Aragon, Supremi Regnorum Aragoniæ Senatus Præſidem, Comitiorumque eiuſdem Regni, tunc etiam Præſidem, de verbo ad verbum ex Hiſpano in Latinum ſermonem fideliſsime converſum recitare, in quo de Te diſſerens hæc habet:

*Hic quinque abhinc annis Madritum venit miſſus à Cæſar-Auguſtana Academia, vt proponeret, & promoveret Eccleſiarum Concordiam, in qua infinitam poſuit operam, mihique*

*toto*

*toto hoc tempore praſto fuit ad tantum opus, tam-
que Deo gratum perficiendum. Eius Scientiam,
& Iudicium probe potui perſpicere: & ex verò
mei animi ſenſu affirmo Excellentiæ veſtræ, Vi-
rum eſſe magnorum meritorum, meoque iudicio
per paucos illi futuros habilitate pares.*

Nec abſimilem de eximijs Tuis Dotibus exi-
ſtimationem concepit Sacer, & Supremus Reg-
norum Aragoniæ Senatus, qui Te Regi Ca-
tholico ad plures Regias Iuris dicundi Præfe-
cturas propoſuit: ſuaque Maieſtas Generali Ara-
goniæ Baiulio Aſſeſſorem creavit Te primûm,
deindê verô præmiſſâ Conſultatione Supremi
Indiarum Senatus Regiæ Limanæ Audientiæ
pręfecit Capitalium Rerum Prętorem: cui mu-
neri qua vigilantia, & prudentia ſatisfacias,
qua item fœlicitate commiſſa Tibi negotia ex-
pedias fugit neminem. Ibidem Explicationi-
bus Auri, Argenti, & Argentivivi Præpoſitus
es Iudex, vniverſæque Peruanæ Maritimæ, &
Bellicæ gentis Auditorẽ agis diligentiſsimum,
incorruptiſsimumque: vt dubitare nemini iam
liceat de magnæ Tuæ Mentis, magnique Iu-
dicij amplitudine, quâm ſcilicêt viderit, Sum-



mis Terrarum Argumentis cõprobatam, &
confirmatam.

Nec verô Te ſapientiſsimum, perque Te
ipſum clariſsimum meum Patronum externa;
eaque præſtantiſsima deficiunt ornamenta. Vt
cætera miſſa faciã, imperare mihi non poſſum,
quin gratiſsima Tibi recordatione, & immorta-
li, ac ſingulari, Patrię Cæſar-Auguſtanę Vrbis,
Tuæque Gentis gloriâ, vnum illud commemo-
rem, quod non ſine ſummis laudibus prędicant
vniverſi, nimirum illuſtres, præclaroſque Tibi
Fratres omnes contigiſſe: qui vt quam proximê
Te contingunt, quam maximê ornent, & hone-
ſtent neceſſe eſt. Hi ſunt, *R.P.D.Blaſius Anto-
nius Lopez*, Cartuſianus Monachus, qui, vt prin-
ceps fœliciſsimę Tuæ Stirpis fructus, debebatur
Deo, cui Vni, in Beatiſsimo Regiæ Domus B.
Mariæ de Aula Dei ſeceſſu, totus vacat impen-
ſiſsime. *R.P.M.Fr.Hieronymus Lopez*, clariſsi-
mæ Dominicanæ Familiæ Alumnus, Acade-
micus Cæſar-Auguſtanus Theologiæ Doctor,
Propoſitionumque Fidei Cenſor, Vir equidem
egregius, & doctus. *R.P.Franciſcus Lopez*, am-
pliſsimæ Societatis IESV Filius, ô qualis, quan-

tuſque Vir! Muſarum omnium delicium, Eccle-
ſiaſtes celeberrimus, luculentiſsimis, duobus to-
mis, prælo datis Concionibus vtrique Orbi no-
tiſsimus, cui ſingulari gloria cõtigit ſub ipſum
dicendi initium, Sacræ Oratoriæ facultatis me-
tã ferê attigiſſe, Concionatorumq; noſtri ſęculi,
(fortê, & omnium) facilê Principem, RR. P. An-
tonium Vieyram ex eadẽ Societate, quâm pro-
ximê repręſentare: Excellentiſsimi D. Ducis de
la Palata Peruani Pro-Regis â Confeſsionibus.
*D. Ioſephus Iſidrus Lopez*, Vir planê Martialis,
Militiæque natus, qui cum plures annos in Bel-
gicis Regis Catholici Caſtris, difficilimiſque
expeditionibus, admirabili Virtutis, & Fidelitatis
ſpecimine meruerit, Prætorianorum Equitum
Excellentiſsimi Peruani Pro Regis Præfectum
agit. *M. Maria à Sancta Thereſia*, Monialis
Carmelitana Excalceata, quam vt ſibi Deus de-
ſpondit, eximijs naturæ, gratiæq; dotibus orna-
tam voluit, Fraterni Genij, & Ingenij, quantum
fœminæ licêt fœliciter æmula. *D. Emmanuel
Lambertus Lopez*, acumine, & naſſo nulli Fra-
trum cedens, ætate tantum minor, in Patria
Cæſar-Auguſtana Academia Sacrorum Cano-



num publicus Profeſſor, mihi ex aſſe Amicus.
O validiſsimum Iuvenum agmen!

*Cœpiſtis quo finis erat, primordia Veſtra;*
*Vix pauci meruere Senes, metaſque tenetis.*

Verum ne Epiſtolæ modum exceſsiſſe nimium
videar, ſtylum dulciſsime excurrentẽ abrumpo:
& quando Te vltro in mei, meæq; Recitationis
præſidium inclinantem video, quod reliquum
eſt, Deum Optimum Maximum, qua poſſum
animi contentione oro, vt Te Neſtoreos annos
ſervet incolumem: poſtque illuſtratum pręſtan-
tiſsimis animi Tui Ornamẽtis novum alienum
Orbem, ad antiquum noſtrum illuſtrandum,
reddat Te nobis quâmprimum Valentiſsimũ.
O vtinam exorem! Dabam Cæſar-Auguſtæ,
Kal. Maij, Anni M.DC.LXXXIV.

Amplitudini Tuæ Devotiſsimus,

Obſequentiſsimus

*Ægidius Cuſtodius Liſſa,*
*& de Guebara, I. C.*

## CENSVRA

## *D. D. VINCENTII NAVARRETE,*

*in Cæſar-Auguſtana Academia poſt Philoſophiæ, ac Durandi Cathedras, Veſpertinis horis Sacræ Theologiæ perpetui Anteceſſoris, Metropolis Almæ Sedis Canonici Magiſtralis, & eiuſdem Archiepiſcopatus Examinatoris Synodalis.*

IVSSV D. D. Lazari Romeo, Vicarij Generalis, & Theſaurarij Sanctæ Metropolitanæ Eccleſiæ vidi, & grata voluptate perlegi, *Extemporalem* hanc *Recitationem* apprimè concinnatam; in ea enìm ingenij preclari acies, exquiſita eruditio, accurata ratio, & diſpoſitio, ita amicè copulantur, vt doceat vbertate doctrinæ, & delectet amœnitate eloquentiæ, de quo non ego, ſed peritiſſimi Iuriſprudentiæ Candidati fidem faciunt. Verum totum hoc inauguratus fui, cum vidi Authorem à pueritia ſuaviſſimis moribus educatum, virilem probitatem coluiſſe; & in adoleſcentia ſua nullum habere minus, quam cum adoleſcētiæ genio commertium, teſtantur hæc venuſtè ſcripta, & quotquot eius frequentiſſimas Iuriſprudentiæ concertationes, communi plauſu, auribus exceperunt. Cenſeo itaque periucundam hanc Recitationem nihil continere Catholicæ Fidei, & Ortodoxis Moribus diſſentaneum. Cæſar-Auguſtæ die VII. Maij, Anno M.DC.LXXXIV.

*D. Vincentius Navarrete.*

IMPRIMATVR.

*Lazarus Romeo, Vic. Gen.*

CEN-

## CENSVRA

## *D. D. IOANNIS ANTONII PIEDRAſita, & Albìs,*

*in Cæſar-Auguſtana Univerſitate Decreti Cathedræ rude donati Moderatoris, Urbis Auguſtæ Civis, & Aſſeſſoris perpetui, ac in Aragoniæ Senatu celeberrimi Cauſarum Patroni.*

EX præſcripto Illuſtris admodum D. D. Martini Franciſci Climente, Regentis Regiam Aragoniæ Cancellariam vidi, ac ſedulò legi *Recitationem* hanccè *Extemporalem*, atque vt ex animo loquar, non minus in præſentiarum gaudeo ſalebroſam, abſtruſiſſimamque adoptionis Spadonum materiam, quæ vel doctiſſimos torqueret Myſtas, ingēti acuminis acie, à tenebris erui, luciq; reddi; quā volūtati, & admirationi induſſi, eam publicè cū habuit Author in Cæſar-Auguſtano Proſcęnio; itaque ſi Recitationem abſque vita jacere, quæ ipſo ſono occumbit, dolebam equidem, mecumque omnis fermè Reipublicæ Litterariæ conſeſſus, eandem denuò, vt non ingloriè cadat, perennaturam ad gloriam vivere, & rurſus præli beneficio immortalitati oportere renaſci, vt Studiorum incremento, Studentium vtilitati, Academiæque decori inſerviat, ingenuè iudico, nullique Regio Iuri obſiſtere, vti ſentio. Cæſar-Auguſtæ pridie Nonas Maij, Anni M.DC.LXXXIV.

*D. Ioannes Antonius Piedraſita, & Albìs.*

IMPRIMATVR.

*Climente Reg. Cancell.*



LECTO-

# LECTORI.

INGRATVS eſſem ſi eximiam honoris auram, quâ doctiſsimi, ampliſsimique Patriæ Academiæ Patres ſuaptè humanitate Eunuchum noſtrum ſuſceperunt, dùm in Auguſtiori Muſeo cum bono omine peperi, ſempiternis memoriæ monumẽtis, maximopere poſthàc colere me ſcripto non teſtarer. Neque hoc vrgentis grautitudinis officiũ prohibebit Eunuchus, quem iam pridem dedit Nobiliſsimus Iuris-Conſultus D. Franciſcus de Amaya, cuiquè totus jure plaudit litterarius Orbis: is enim, an Eunuchus teſtari poſſet longè, latequè pertractavit; num & adoptet, levitèr tetigit; itaquè non pergravabor *Eunuchum alterum* ex aſſe illi exterum typis ſiſtere, vt vberrimas juris fruges ſterilis planta bis ferat, quæ meſſem tibi erudite Lector geminam, ac feracem reddant. VALE.





# RECITATIO EXTEMPORALIS

## *Ad Text. in §. ſed, & illud 9. Inſtit. de Adoptionibus.*

## SVMMARIVM.

S*ERMONIS introductio, divina invocatio, & Recitationis partitio. §. Verba, Argumentum, Concluſio, Iura ſimilia, & qui ad illam ſcripſerunt. Prima ratio dubitandi Spadones omninò generare poſſe apprimè ſuadet. Secunda dubitandi ratio, qua procreationis liberorum expertes adoptare, adrogareque non probiberi videtur. Quæ vtriuſque adoptionis cum natura, & jure communia. Qui fuerint Spadones, vndè dicti, proponitur adverſus* Caldas, *& alios. Exponitur* Text in l. ſi ſerva ſervo 39. §. 1. D. de Iur. Dot. *Caſtrati quales, & à quibus eſſet caſtratio probibita.* D. Hieronymus de Horoz. *notatur. Explicatur Text. in* l. 4. §. Idem 2. D. ad leg. Cornel. de Sicar. *& impugnatur* D. Franciſcus de Amaya. *Variæ ad §. n. Explicationes improbantur, & reiecta* I. Cujatij *interpretatione lucem accipit* Text. in l. cum fidei 9. D. de fideicommiſſ. libertat. *Illuſtratus* Virgilius. *Nova, & vera §. n. decidendi ratio. Vitium quale, quò Spadones procreare non poſſunt. Nova interpretatione donatur adverſus,* Hotomanum Text. in l. 1. §. 7. D. de Ædil. edict. *ac prima ratio dubitandi ſolvitur. Vtramque adoptionem non* per-

*permitti convincitur, niſi ei, qui Pater ſaltèm natura eſſe non impediatur, & deſinit obſtare ſecunda dubitandi ratio Quis ad* l. ſed eſt quæſitum 6. D. de liber. & poſthum. *latè ſcripſit.*

IVSTINIANVS [Illuſtriſſime Rector] horariæ exercitationi ſorte hèri oblatus ad ſterilem deſperatumque *Text. in* §. *ſed & illud 9. Inſt. de adopt.* proſcænium ſubit illuſtrandus; quod vt facilè poſſim ad exitum perducere, vtinam aſpirent peroranti Sanctiſſima Trias P. F. & Spir. S. Pientiſſima, & Præſentiſſima Columnata Virgo MARIA, Divus Iacobus Hiſpaniarum Patronus, Divi Franciſci Xavier, & Borgia, Doctor Angelicus Divus Thomas de Aquino, D. Panthaleon, Divus Ægidius, Divus Petrus Arbueſius, Vrbis noſtræ Cœleſtes Acolæ, & Tutelares Innumerabiles Martyres Cæſar-Auguſtani, omneſque in Purgatorio criminna ſua expiantes Animæ, vnà cum vniverſis Empyrei Civibus, quo plenis, fortunatiſque velis fugientis horæ ſupremam prehendat oram Oratio. Curſus autem Orationis is erit: Primũ §. verba, ipſius argumentum, huius ſummarium, eique concinna I. C. reſponſa, Interpretum teſtimonia, pro roſtris feram: Deindè duplicem extollam dubitandi rationem: Tertiò paraphraſtica §. commẽtatione habita, veriorem ſtatuam decidendi rationem: Tandem facilis exitus erit dubitandi rationibus, & ſingulatim varios, ac ſpecioſos textus, dùm clepſydra ſilentium non imperet, haud perfunctoriè commendabo.

Promiſſa faciam, verba §. *n.* hæc ſunt: *Sed & illud vtriuſque adoptionis commune eſt, quod & hi, qui generare non poſſunt, quales ſunt Spadones, adoptare poſſunt: Caſtrati autem non poſſunt.* In partes ea diſtribuere ſupervacuum eſt, quia individuam, ſivè vnicam ſententiam continere arbitror, quòd vt certius appareat, en §. argumentum.

Adoptionem Iure Civili Imaginem eſſe, ſivè Idæam Naturæ perſpicuum eſt; qua liberos, quis faciat, non minus, ac ſi natu-





ra eos haberet; ideòque in his Perſonis, hoc ſtrictiſſimum veritatis naturalis ſimulacrum excipi, in quibus ipſimet naturæ locus eſſet, vno ore apud Iuris Conſultos convenire video, quòd ſimilitèr in adrogationem cadit, cum ea paritèr, ac adoptio veſtigia Naturæ ſequatur. Vndè vtriuſque adoptionis commune erit, Caſtratis, Thlibijs, & Thlaſijs, quibus omninò natura averſam eſſe Filiorum procreationem apparet, nullos ſivè Filiosfamilias, ſive Patresfamilias, in locũ Filiorũ, vel deinceps jure adciſcere licere; quamvis Spadonibus, qui abſimili ex cauſa liberos generare non poſſunt, adoptare, adrogareq; permitti eos, eaſuè, qui, quævè alieni, aut ſui juris eſſent, Sacrum Imperatoris Iuſtiniani Oraculum non inficiatur. Ex quibus aſſertio eſt huiuſmodi.

*Ex his Perſonis, quæ generare non poßunt, Spadonibus licet adoptare, non autem Caſtratis.*

Probant concluſionem expreßè *Text. in l. Adoptio* 16. *D. de Adopt.* ibi: *Adoptio enim in his Perſonis locum habet, in quibus etiã natura poteſt habere; & Text. in l. Adrogato* 40. §. *fin. D eodem,* ibi: *Spado adrogando ſuum heredem, ſibi adſciſcere poteſt, nec ei corporale vitium impedimento eſt;* junctis *l. Generalis* 2. §. *illud* 1. *D. eodem, & leg. Sed eſt quæſitum* 6. *D. de liber. & poſthum. & ab argum. text. in l. Sin autem* 7. juncta *l. Ædiles* 38. § *Sed enim in fine, D. de ædilit. edict.* *L. Si ſerva ſervo* 39 §. 1. *D. de jur. Dot.* *L. Alumnus* 14. § *fin. D. de manum. vind.* Vlpian. *L. ſing. regul. tit.* 8. § *hi qui* 6. Caius *L.* 1. *Inſt. tit.* 5. §. *Spadones*, & Baſilicon. *lib.* 28. *tit.* 15. *& lib.* 77. *tit.* 1. Explicant, brevitèr tamen, atque ſuſpenſa manu, præter Inſtitutarios, [quos videre ipſe potui] §. literam ſalutantes tantum, Franciſcus Conanus *lib.* 2. *Commentar. Iuris Civil. cap.* 15. Ioann. Corraſſius, & Anton. Faber *in d. L. Adoptio* 16. *l. Adrogato* 40. §. *fin.* Franciſc. Duarenus *ad tit. de Adoption. cap.* 9. H. Donelus *lib.* 2. *com. cap.* 22. Nicolaus Vigelius *Method. univerſ. jur. Civil. part.* 2 *lib.* 4 *cap.* 28 *in princ.* Petrus Gregorius *Syntagm. jur lib.* 10. *cap* 6. Iulius Patius *Leg. conciliat. cent.* 1. *quæſt.* 32. Emundus Merillus *l.* 1. *obſervat. cap.* 25.

D. Franciſcus de Amaya *lib. 3. obſervat. cap. 6. à numer. 83 ad 86.* D. Franciſcus Ramos del Manzano *lib. 3. ad Leg. Iul. & Pap. cap. 4. num. 6.* D. Balthaſar de Prado *ad Leg. cum heredes 23. D de adquir. poſſeſſ. num. 360.* Quos inter vix ſolus adeundus pro cunctis, ac præcunctis D. Franciſcus de Caldas Pereyra *in tract. de nominat. emphyteut. quæſt. 14. ex num. 18. ad 36.* qui plures refert.

Sed primum me non modicum angit, Spadones retuliſſe inter Perſonas, quæ generare non poſſunt, quia ſi id verum eſſet, vel fieret propter vitium, ſivè morbum temporalem, aut perpetuum, quorum neutro affici eos reperio; nam ſi quis Emptore inſcio ſervum Spadonem venderet, ædilitio edicto locus non fuiſſet, cum morboſum illum, neque vitioſum eſſe verius I. C. Vlpiano videatur in *L. ſi Pomponius 6. §. fin. D. de ædilit. edict.* alioquin ſi adverſa valetudine illum ex tempore, non poſſe generare contingeret, morboſus ſatis intelligeretur, arg. *Text. in dict. L Pomponius 6. in princip.* juncta *L. quæritur 14. §. ſi Mulierem 7. & §. item 14 D. eod.* quòd ſi perpetuo ad generandum morbo laboraret, magis vitioſus, ſeu morboſus videretur, in edictumque Ædilium incideret: *L. ſin autem 7. L. Ædiles 38. §. 7. D de Ædil. edict.* In quam ſententiam Proculeianos omnes juraſſe, Stoicos proſecutos, memoriæ prodit Emundus Merillus vbi proximè *cap. 25.* concinit Claudianus *lib. 1. in Eutrop. Eunuch.* ibi.

*Nudatus quoties Medicum dum conſulit Emptor,*
*Ne qua per occultum lateat jactura dolorem,*
*Omnes pænituit pretij, venumque redibat,*
*Dum vendi potuit.*

Plenaque manu proſequitur D. Franciſcus de Amaya *lib 3. obſervat. cap. 6. ex num. 87.* neque his obſtat *Text. in L. 27. §. & ſi puerum 28. D. ad Leg. Aquil.* junctis *L vlt. in princ. C commun. de legat. L. 1. §. 6. verſ. Sin autem, C. de com. ſerv manum.* Videndus D. Ioann. de Suarez *ad Leg. Aquil. lib. 2. cap 3. ſect. 6. num. 7.* E. nullo morbo, ſive vitio afficitur Spado, quinimò *ſanum eſſe; ſicuti*



*ſicuti illum, qui vnum teſticulum habet, qui etiam generare poteſt;* refert Vlpianus *in dict. L. Pomponius 6. §. fin.* quibus malè negationem imponit Haloander reprehenſus ab A. Auguſtin. *3. emend. 5. & 4. cap. 17.*

Augetur difficultas, nam quodcumque illud vitium ſit, quo Spadones generare impediri aiunt, vt minimum imbecilles eos, minuſque Dominis vtiles reddere, ſi ſerviant, neceſſe eſt, eoque reſpectu Iuvenalis *Satyr. 6.* imbelles eos appellat, & telas eis, non tela tractanda elegãtèr deſcribit Claudianus vbi proximè. *In Eutr. Eunuc.* expreſſimque cecinit Martial *lib. 5. epig. 42.*

*Spadone cum ſis eviratior fluxo,*
*Et concubino mollior Celœneo,*
*Quem ſectus vlulat matris entheæ Gallus.*

Idem colligitur ex *dict. L. Ædiles 38. §. ſed enim, verſ. Idem refert,* quem nitidiorem fecit Olano *Paralypom. jur lib. 3 cap 10. ex nu. 21.* quod ſatis eſſe videtur, vt in venditione Spadonis ſuppreſſo hoc vitio à Venditore, Emptori eſſet actio redhibitoria, vt competit, eò ſolùm, quòd ex imbecillitate dexteræ, validiùs Servi venditi ſiniſtra vterentur, vel eorundem ora, pulmonis, ſive jecoris cauſa olerent, aut Miopes eſſent *L. idem Offilius 10. §. 3.* juncta *L. qui clavum 12. §. 3. & fin. D. de ædilit. edict.* adeò facilè morboſę rei venditio in edictum Ædilium incidebat, vt paſſim videre eſt *tot. penè tit. D. de ædili. edict.* & apud Paulum Zachiam *lib. 2. quæſt. medico legal. tit. 3. per tot.*

Secundo facit adverſus aſſertionem, quòd etſi Caſtratis liberorum procreationem natura prohiberi conſtet, non perindè ab vtriuſque adoptionis beneficio arceri eos oportet, cum vtraque adoptio naturam omninò non ſequatur, in eò, quòd Pater adoptans, quos Iure in locum liberorum adſciſceret, eos natura habere poſſet: Hoc in adrogatione adeò verùm eſt, vt inter alias cauſas, in quibus neceſſaria adrogationis cognitio verteretur, ea potiſſimum eſſet, quòd omninò nubilis ætatis non fuiſſet adrogator, itaque minori ſexaginta annis adrogare non licebat; *quia magis liberorum creationi ſtudere debeat L. ſi Pater-*

*famias* 15. §. 2. *D. de Adopt.* illudquè manifeſtò probat exceptio, quæ in *dict. L.* 15. §. 2. ſequitur ibi: *Niſi fortè morbus, aut valetudo in cauſa ſit*; quod minori quoque ſexaginta annis impedimento eſſet, ne gignendis liberis operam daret, vt animadvertit Corraſſius *in d. L.* 15 §. 2. Idemque arguit Ciceronis locus *in Orat. pro Dom. ſua*, ibi: *Quid eſt jus adrogationis Pontifices? Nempè vt is arroget, qui nec iam procreare liberos poſſit, & cum poſſit ſit expertus.* Quamobrem Lege Iulia, & Papia Sexagenarius olim prohibebatur vxorem ducere minorem quinquagenaria, quia Mulier poſt quinquageſimum annum non parit, vt probat *Text. in L. ſterilis in princ. D. de action. empt.* & refert Ariſtoteles *lib. 7. Polit. cap.* 16.

Neque minus certum eſt Adoptionem eo non ſemper naturam imitari, nametſi Pater adoptans, quos Filiosfamilias adoptione facit, eoſdem vt plurimum natura habere non impediatur; tamen variæ huius regulæ exceptiones à Iuris-Conſultis offeruntur, nonnullas referam, quo magis id pateat: I. certum eſt licere in locum Nepotis, vel Neptis adoptare, quamvis Filium quis non habeat, §. *licèt autem* 5. *inſt. de adopt.* neque id prohibet Nepotes abſque Filijs, ex quibus deſcendunt natura eſſe non poſſe. *L. liberorum* 220. *D. de verb. ſignif.* II. & qui vxores non habent adoptare poſſunt. *L. & qui Vxores* 30. *D. de adopt.* quamvis ſine Vxore juſta nullus Parens legitimus eſſe videatur: Sed dices ſatis eſt, vt adoptio permittatur, quod Filios, quis natura habere poſſit; Lex enim ſupplet naturam, quæ non eſt in actu, haud verò, quæ eſſe non poteſt, docet Anton. Fab. *in dict. L. & qui Vxores* 30. Verum id duplici ratione refellitur. Primum, nam qui omninò liberos legitimos jure habere non poſſunt, quales ſunt, qui cælibatum profitentur, adoptare poſſunt, Vlpian. *L. ſing. regul. tit.* 8. §. 6. qua ratione, & noſtros Sacerdotes Vxores ducere vetitos adoptionis commercio non interdici ſentit Corraſſius *in dicta L.* 30. quamvis in contrariam ſententiam extat Gregor. Lopez *in L. 2. tit. 4. p. 6. ex ration. Text. in L. 3. tit. 22. p. 8.* Secundo





etiam ſi impoſſibile ſit facto, [adeò brevem ponit finem mortalibus curis Atropos] quod quis natura Abnepotem, Trinepotem, cæteroſque huiuſmodi deſcendentes habeat, tamen nemo prohibetur in eorundem locum, quoſvis adoptare, vt indicant verba illa, *Text. in dict. §. licèt autem* 5. *Licèt autem, & in locum Nepotis, vel Neptis, Pronepotis, vel Proneptis, VEL DEINCEPS adoptare*; quod adeò verum eſt, vt nec in adoptione Nepotum, ſive Pronepotum ea requiratur ætas in adrogante, itemque in adrogato, per quam ille Avus, aut Proavus, is Nepos, aut Pronepos natura eſſe poſſit; alioquin rariſsimè poſſet quis Nepotem adoptare, quod fieri commodè ſubijcit Iuſtinianus *in dict.* §. 5. vt ſummo cum judicio obſervat Balduinus *in §. maiorem natu* 4. *Inſt. h. n. tit.* E. Adoptio non ſolum ſupplet naturam, quæ in actu non eſt, ſed quæ, & jure, & facto minimè eſſe poteſt.

His autem difficultatibns huiuſmodi fulcitis non adverſantibus tenenda eſt ſuperior aſſertio, pro cuius decidendæ rationis indagatione paraphraſticè §. n. explicare in pretio habui. Incipit Text. *Sed, & illud vtriuſque adoptionis commune eſt.* Propoſuerat Imperator in §. præcedenti, quædam eſſe communia vtriuſque adoptionis, ex his, quæ jus, & natura præbent Filijs naturalibus, quod in n. Textu [& qui ſequuntur] ex aſſe proſequitur, vt ſatis indicant priora illa verba, *ſed & illud*; itaque vt illud extra dubitationis aleam intelligatur, ſitienti, vt minimum, calamo pauca referam. I. Parentis naturalis inſtar, qui liberis ſuis ætate maior eſt, vterque Pater adoptans Filios, quos adoptione, ſive adrogatione facit, plena pubertate præcedit, *L. ſi Paterfamilias* 15. §. *fin. cum L. ſeq. item. L. adrogato* 40. §. *non tantum, D. de adopt.* juncto §. 4. *Inſt. eodem.* II. vt liberi naturales emancipati rurſus naturalia jura honeſtè non adepiſcuntur. *L. qui liberatus* 19 *D. de adopt.* neque adoptivi emancipati, vel dati in adoptionem, iterum adoptari poſſunt. *L. adoptare* 37. §. *fin. D. eod.* III. ex adoptivo natus, adoptivi locum obtinet in Iure Civili. *L. ex adopti-*

*vo* 27. *D. illo tit.* & liberi adrogati habiti ante adrogationem, in adrogatoris fiunt poteſtate, tanquã Nepotes § *pen Inſt.h.n.t.* quod in Nepotibus ex Filijs naturalib⁹ ſuſceptis ſimiliter cõtingit § *qui igitur Inſt.de Patr.poteſt.*§ *illud autẽ* 9. *Inſt.quibus modis Patr.pot ſolv.* IV. adrogati, adoptivique non ſolum commoda, ſed, & onera in Patres ſuos tranſeunt *L. onera* 45. *D de adopt. L. in adrogatorem* 49. *D. de pecul.* vt in Filijs naturalibus, atque legitimis, probat *Text. in L. ſi quis* 44. *D. eod.* V. vtrique Patri adoptanti licet liberos ſuos in adoptionem alij dare *L. adoptatum* 8. *Cod. de adoption.* §. *in plurimis Inſtit. eodem*, non minus, ac Patri naturali *L.* 42. *D. eodem.* VI. Fœminæ, quæ Filios naturales in poteſtate non habent, nec per adoptionem juſſu Principis permiſſam *L.* 49. §. *quoniam*, *D. de inoffic. Teſtam.* ſive adrogationem habere poterunt *L. Mulierem* 5. *Cod. de adopt.* Vlpian. *in Fragm. tit.*8. §. *fin.* Caius *L.* 1. *Inſtit. tit.* 5. VII. Emancipati Filius Avo in adoptionem datus, in huius ſucceſſione jungendus eſt Patri ſuo, quod cuivis adrogato Filio præſtatur *L.* 3. §.4. *D. de bonor. poſſeſs. cont. tab.* pariter, ac Filio naturali Prætor pollicetur *L.* 1. §.4. *D. de collat. bonor. L.* 1. §. *emancipatus* 13. *D. de conjung. cum emancip. liber.* Plura his ſimilia in toto Iure Civili occurrunt; ſed hæc, quaſi per Satyram collecta ſatis eſſe arbitror, quo vtriuſque adoptionis cum natura, & jure communio facilè deprehendatur.

Proſequitur Text. *Quod, & hi qui generare non poſſunt, quales ſunt Spadones.* Præter ea, quæ vtriuſque adoptionis communia eſſe, huc vſque expoſui, ſequitur alterum, in quo ſimiliter vtraque Adoptio convenit, quod plenè intelligetur, ſi prius quæratur, qui Spadones ſint, à quo nomen hoc ducant; ſed antea cum Tertulliano præmoneo *L.* 3. *de Anima, cap.* 27. non pudere debere neceſſariæ interpretationis: *Natura*, inquit, *veneranda eſt, non erubeſcenda*; illius autem nominis originem, ſive etymologiam variè varij derivant; Stephanus *de Vrbibus*, *Spadonum* vocem à vico perſico *Spada* ducit, in quo primum, vt ille ait, caſtrari mares cœperunt, ſed huic parum congruit

Amia-



Ammianus *L.* 14. vbi refert Semiramim primã omnium Mares caſtraſſe, cui adjungendus eſt Iacob. Cujatius *lib* 17. *obſervat.* 24. *in fine*: Alij autem *Spadones* à *Spata* appellari ſentiunt, qua virilia abſcinduntur; at in his non eſt nominis etymologia, ſed adnominatio, vel vt alij loquuntur alluſio ad nomen; nam vera cuiuſque nominis etymologia, eſt eiuſdem notatio, ac definitio, & ſuperiores derivationes non definiunt, ſive explicant Spadones in ſpecie, de quibus ſermo eſt, ſed in genere; Spadonis nomen in genere, & in ſpecie accipi poſſe, probat *Text. in L. Spadonum* 128. *D. de verb. obligat.* in quo Iuiris-Conſultos perperàm reprehendit Fucſius *Aphoriſm. ſect.* 5. *aphoriſm.* 28. Spadonis nomen generale comprehendit omne Eunuchorum genus, quo referendi ſunt *Text. in L.* 39. §. 1. *D. de Iur. Dot. L. ſin autem* 7. *D. de ædilit. edict.* Paulus *lib.* 3. *ſentent. tit.*4. §.2. junctis Cujatio *ibidem*; Claudio Mamertino *in panegyr. Iuliani*, Plinio *lib.* 11. *cap.* 37. Speciatim verò Spadones continere cenſeo, quatenùs ab his differunt, qui natura, facto, ſive fato omninò generare non poſſunt; nec novum in vſu juris eſt, ſpeciem generis nomen trahere, quod inter alia innumera, in verbis adoptionis, cognitionis, actionis videre eſt in *L.* 1. *D. de adopt. L. non facilè*, §. 1. *L. Iuris Conſultus* §. 1. *D. de grad. & affinib. L. pecunia*, §. *actionis*, *D. de verbor. ſignific.* Illos autem perperam accipi pro eis, qui quacumque ex cauſa generare facilè non poſſunt, adſtruit *Text. in L. ſed eſt quæſitum* 6. *D. de liber. & poſthum.* vbi poſtquam in genere Iuris-Conſultus docuit, quod omnis, qui difficilè generare valet, adoptare, poſthumum heredem inſtituere poſſet, ſubdit *Spadonem quoque poſſe* intelligens illa generali definitione Spadonem expreſsè non contineri innuit Caldas *vbi ſupra num.* 31. neque exindè cum eo conſentiam, non diſtinguente *num* 32. Spadonem à Thlibia, ſive ab attritos teſtes habente; nam ſi *attritum* apud Latinos, *vſu conſumptum* ſignificat, & in vſu Iuris, quæ atteruntur, veluti veſtimenta, vſu conſumi prædicat *Text. in* §. *conſtituitur* 2. *Inſt. de vſufruct.* cum qui attritos, ſive conſumptos generatio-

nis

nis teſtes habeat, ecquis non magis conferat cum Caſtratis, quam cum generandi habitu minimè excluſis, quales ſunt Spadones? Congruit *L. hi quoque* 5. *D. ad Legem Cornel. de Sicar.* Ergo horum nominis ſignificationem ſpeciatim ſumpti deduci verius erit, ab eo, quod Græcis eſt idem, ac *contorquere*; nam ij veneris vſu propter affectionem aliquam continuam, ſive refrigerationem contorto non generant, eo vero ſublato Sobolem ſuſcipere, ex Galeno *lib.* 17. *de vſu part.* communitèr obſervatum reperio.

Amplius pergit §. *Adoptare poſſunt*, & adrogare *L. Adrogato* 40. §. *Spado D. de adopt.* in quo vtraque adoptio convenit, neque à natura diſcedit; vndè Vlpianus rectè ſcribit *in L. ſi ſerva ſervo* 39. §. *vlt. D. de Iur. Dot.* cum an Spado poſſit Vxorem ducere quæreretur, & conſequentèr, an & Ancillam Matrimonij cauſa manumittere, cum qua libera iam ipſe Nuptias contrahat, *L. ſi alumnos* 14. §. *vlt. D. de manum. vind.* Dominum, arctiori ſignificatu, Spadonem non prohiberi, vt plenè explicans *dict. L.* 39. § *vlt.* ſentit Petrus Barboſſa *in leg.* 1. *part.* 1. *ex num.* 90. *D. ſolut. matrim.* Cui vnum addam, & vno verbo, me facilè aſſentiri D. Franciſco Ramos *in Comment. ad Leg. Iul. & Pap. lib.* 3. *cap.* 4. *in fin.* qui Iacobum Gothofredum *in fontibus*, quos inſcripſit, *Legum ad Iuliam de Maritandis*, haud rectè exiſtimaſſe obſervat, interdictas fuiſſe, ea lege, Nuptias Spadonibus, tanquam inutilibus procreationi, maximopere repugnante huic, & obſiſtente, *dict. L.* 39. §. *vltim.* proindè Concinnatores Baſilicon affabrè huius ſententiam ſic paucis exprimunt, *L.* 28. *tit.* 15. *Eunuchus, qui non eſt exciſus, poteſt Vxorem ducere, & dotem accipere*; alioquin ſi caſtratus eſſet, ducere Vxorem non poſſet, vt probat Leonis Philoſophi *novel.* 97. *de pen. Eunuch. in fin.* aliter, atque ſi vnum teſticulum habeat, qui nec vitioſus, nec morboſus eſt, cum generare poſſit, & militare *L. Pomponius* 6. §. *vltim. D. de ædil. edict* juncta *L.* 4. *D. de re Milit.* quod quidem verum eſt poſt Decretum Sixti V. Pontificis Maximi *Motu proprio* edito A. D. 1587. nam



nam Eunuchi tantum vtroque teſte carentes Matrimonium contrahere prohibentur conſopitis eo Decreto Interpretum Noſtratium hac de re controverſijs, non paucis, vt plures referens obſervat D. Franciſcus Ramos del Manzano *vbi ſupra num.* 10.

Tandem abſolvitur Textus his verbis: *Caſtrati autem non poſſunt*; pauca hac à Triboniano adijciuntur reliquis verbis, §. quæ ſolum exſcripſerat, *ex L.* 2. §. 1. *D. de adopt.* ſi fides eſt P. F. ſed neque plura pro his colligam, ne pervulgata lexica compilare videar, præſertim, cum breviter monere poſſim, non omnes omninò ſteriles *Caſtratos* appellari; quia ſcitiſſimum eſt alios eſſe *Thlibias*, veluti eos, quibus teſticuli attriti ſunt; alios *Thlaſias*, quibus contuſi, compreſſivè; & alios *Caſtratos*, quibus exſecti, aut abſciſſi, de quo poſtremo genere multa Cornelius Celſus *lib.* 7. *de re Medic. cap.* 19. ac de ſingulis Paulus Ægineta *lib.* 6. *cap.* 54. pleniuſque his Theophilus Raynaudus *tom.* 14. *tract. de triplic. Eunuch. in præluſ.* Paulus Zachias *vbi ſupra quæſt.* 7. *per tot.* ac plures alij: huiuſmodi autem Eunuchos adoptare non poſſe ſatis liquet, cum à cæteris rebus, quas Spadonibus jura permittunt, ſupra allegatis legibus excipiantur; ſolum æquè caſtratos, & Spadones, ad Teſtamenti factionem, ac Tutelæ munus admitti, probant *Text. in L. falſa allegatione* 1. *Cod. de excuſat. Tutor. L. Eunuchus* 5. *C. qui Teſtam. facer. poſſ.* quas illuſtriores fecit D. Franciſcus de Amaya *in Eunucho vbi ſupra.* Sed hodie vix in cauſa erit, vt de Caſtratis quæratur, nam & paucos omninò cum hoc defectu naſci, obſervat apud Auguſtinum Author quæſtionum ex vtroque Teſtamento *quæſt.* 116. & nullos fieri iam dudum conſtitutum eſt.

Eloquar de Eunuchiſmo prohibito, quia nemo, quem viderim, cunctas ſæpè numero Leges caſtrationem vetantes in vnum redegit, Barn Briſonio excepto qui *lib.* 2. *ſelect. antiquit. cap.* 21. omnium vix meminit. Cum olim apud Romanos libidinis, promercij, & quandoque ſanctimoniæ cauſa caſtrari Ma-

Mares haud inſolens eſſet *L. 3. §. item is 4. D. ad Leg. Cornel. de Sicar.* cuius rei varia teſtimonia extant apud D. Emmanuelem Gonzalez Tellez *in cap. ex parte 5. de corpor. vitiat. ex num. 7.* ne in poſterum natura huiuſmodi pateretur injuriam, primum Domitianus caſtrari Mares vetuit referunt Sueton. *in eodem cap. 7.* Xiphilinus *in Apuleio lib. 8. de aſino aur.* Martialis *lib. 6. epigram. 2. & lib. 9. epigram. 7.* quod, & poſtea Nervam propoſuiſſe teſtatur Dion. *in Nerva*; neque ea, quæ anteriores Principes conſtituerunt, poſteriores rurſus retractaſſe novum olim erat, vt luculentèr docet Dominus Doct. D. Ioannes Ludovicus Lopez [Ampliſſimus Recitationis Vindex] *in juſto, & ornatiſſ. Commentar. ad L. 12. Cod. de Relig. & ſumpt. Funer. cap. 14. per tot.* quod Iuſtinianum obiter feciſſe probant *Text. in princip. Inſt. de Nupt.* juncta *L. quoties 8. D. de pact. Dotal. Text. in §. erat olim Inſt. de Donat.* junctis *L. duobus 30. D. de liberal. cauſ. L. Domino 16. D. ad Silanian. Text. in princip. Inſt. de milit. Teſtam.* & plures alij, quos ex aſſe colligit D. Hieronymus de Horoz *de apicib. Iur. lib. 2. cap. 14. num. 12. & lib. 5. cap. 7. per tot.* gloriam, ſive potius ambitionem arrogandi, ſibi deciſiones antea jure receptas affectaſſe Iuſtinianum oſtendens; ſed hæc ſine felle ſcripta haud reliquiſſe convincitur *ex dict. princip. Inſtit. de Milit.* quo anteriorum Conſtitutionum meminiſſe Iuſtinianus non ſubterfugit, [& facere oporteret, ſi ſuperiori gloriæ inhiaret] dum ſuam de eodem Conſtitutionem rurſus propoſuiſſet; quod de Auguſto apud Sueton. *in eodem* enarrat I. Revardus *lib. 2. Coniectan. cap. 1.* Poſt illos minatius, & expreſſius Adrianus quoſvis emaſculantes, non ſolum coerceri voluit, ſed punitionis modum reſcripſit *L. 4. §. 2. D. ad Legem Cornel. de Sicar.* vbi eos, qui liberos homines ſervoſvè invitos, aut ſinentes caſtraſſent, in pœnam Legis Corneliæ incidere ex Edicto Divi Adriani, Author eſt Vlpianus, quod, & Medico capitale erat, etiam ſi ipſi quis ſe ſpontè excidendum præberet *d. L. 4 §. 2 in fin.* iſquè peritia ſua caſtrandi vteretur, quam inter Officia Medici olim fuiſſe conſtat,





*d. §. 2 in fin. L. 7. § fin. L ſeq D ad Leg. Aquil. § Præterea 6 Inſt. eod.* pluribus docet B. Briſſonius *Select lib. 2. cap. 4. per tot.*

In eadem quoque cauſa eſſe eos, qui Thlibias facerent, ex ipſo D. Adriani reſcripto miſſo ad Ninium Haſtam Civem Romanum, ſi fides eſt Anton. Auguſt. *de nomin. prop. Pand. cap. 5.* docet Paulus *in L. hi quoque 5. D ad Legem Cornel. de Sicar.* Enimverò D. Franciſco de Amaya facilè non conſentiam exiſtimanti, *vbi ſupra num. 55.* Edictum Domitiani per deſuetudinem abolitum, maximè auctum Adrianum innovaſſe; nam ſi hunc gravius retractaſſe ſentit Domitiani Edictum *dict. L. 4. §. idem 2* juncta *dict. L. 5.* nullatenus illius ſanctio ſupervacua eſt: E. fruſtra id per deſuetudinem abolitum fuiſſe, neminem referens, divinare audet. His ergo temporibus, [ſi licet conijcere] pœnam Legis Corneliæ, in his, qui emaſculaſſent hominem ſive liberum, ſive Servum Neratio Priſco, & Annio Vero Conſulibus [huius tantum meminere 4. anno imperij Adriani, Anno Domini 122. Contius, Onuphrius, & Vvolfing. Freim. *in Faſt Conſult.*] Senatus admiſit *L. 3. §. 4. D. ad Legem Cornel. de Sicar.* in eis autem, qui Servum alij caſtrandum tradiderint reprobavit, *L is qui 6. D. eodem*; ſed pro parte dimidia bonorum eos ſolum puniri cenſuit, alioquin in eandem Legis pœnam inciderent, *Argum. Text. in L. 1. in princip. & paſſim, D illo titulo.* Præterea Conſtantinus, in quoslibet caſtrantes pœnam capitis conſtituit, & ſi is qui caſtraretur ſerviret, Domino quoque Caſtratum ſervum, omniaque bona adimi decrevit, dummodò id ſaltem ſciente eo, ac diſſimulante committatur *L. 1. Cod. de Eunuch.* hanc pœnam capitis Iuſtinianus abrogavit, *novel. 142. de his, qui Eunuch. fecer.* induxitque, vt caſtrans aliquem illicò caſtretur, quod Leo Imperator rurſus ſuſtulit, novamque pœnam adverſus caſtrandi Artifices admiſit, quæ ex aſſe deſcribitur *in novel. 60. eiuſdem.*

Cæterũ rationi conſonũ iam eſt, vt ſuperioris differẽtiæ, circa vtramque adoptionem permiſſam Spadonibus, Caſtratis veti-

tam, verior ſtatuatur ratio, ac deſcribatur; ſed primum ratus non ero, arbitrariè illam Iuſtinianum conſtituiſſe, vt videtur Conano *lib. 2. Comment. cap. 25.* Duareno *ad titul. de adopt. cap. 9.* eò quod Spadones paritèr, ac Caſtratos generare non poſſe referat Imperator, cum in adoptionis beneficio impares eos eſſe Author ſit; neque correctorium, [niſi temerè] cultrum Samuelis Petiti *lib. 2. obſervat. cap. 6.* verbis illis, §. *generare non poſſunt* propterea applicare licet, nam idem de Spadonibus ſcripſiſſe Caium *in L. 2. § illud D. de adopt.* conſtat, ex cuius ore, vt ſupra monui, verba illa Tribonianus hauſerat: minuſquè [Charybdim fugiens] incidam in interpretationem D. Franciſci de Amaya *vbi ſupra num* 86. aſſerentis huiuſmodi §. *non*, idem eſſe, ac *nondum*, vt è converſo *nondum*, interdum ſumitur pro *non*, vt *in L. cum fidei* 9. *D. de fideicomm. libert.* obſervat I. Cujatius 15. *obſervat.* 5. & apud Virgilium 6. *Æneid.* dum cecinit.

*At Phœbi nondum patiens immanis in antro.*

Itaque hunc ſenſum §. *n.* facere; Spadones, qui nondum generare poſſunt, ſed omnino non prohibentur, quales Caſtrati, adoptare poſſe, cum naturam ſuppleat adoptio, quæ non eſt in actu, ſed eſſe poteſt.

Hæc enim interpretatio duplici ex cauſa laborare videtur. Primum, quia adeò certum non eſt, *nondum* in vſu Iuris idem, ac *non* ſignificare, *ex Text. in dict. L. cum fidei* 9. quod amplius retineri non debeat Florentina lectio, quidquid ſentiat Cujatius *vbi proximè, argum. Text. in L. peto* 69. §. 1. *D. de legat.* 2. imò ſummo judicio exiſtimat Iuris Conſultus *in dict. L.* 9. propè eſſe, vt nondum præſtari debeat fideicommiſſum, i. e. non ſtatim, cum fidei heredis Teſtator commiſiſſet, *ne Servus alienam ſervitutem patiatur*, & neceſſariò alienaretur is ex cauſa Teſtatoris; cuius rationem dat, his quæ ſequuntur; *quod poteſt videri Defunctus nihil ſenſiſſe de huiuſmodi caſu alienationis*; alioquin ab herede, quoquo modo venditio fieret, illud præſtari oporteret, *argum. Text. in L. quidam* 10. juncta *L. ergo*



*go* 41. § *fin. D. de fideicommiſſ. libert.* Haud aliter *nondum* intellexit Virgil. *vbi ſupra*; nam is de Sybilla loquens ſolita rabie Æneæ futura in Phœbi immani antro prædicente, *nondum* pacientem eſſe inquit, quia ſuum adhùc Oraculum non abſolverat, ſic Servius *in Virg. verb. at Phœbi nondum.* Secundo eſto enim, *nondum* accipiatur pro *non*, quia componitur dictionibus *non*, & *dum*, hancque vacare, illam vero retineri ſentit I. Cujat. *vbi ſupra*; ſed è converſo *non* ſumi, pro *nondum* haud facilè probabitur; nam ſi hoc verum eſſet, vbinam jurium vis, quæ illa dictione conſtant? Cum omninò neget, & negativè ſemper accipiatur, hinc Cicero *lib. 1. epiſt. 9. Tantum*, inquit, *dicam non mihi exercitum, ſed Duces defuiſſe*; at ſi in omnibus juribus, in quibus dictio *non* fuiſſet, *nondum* minimè reponatur, ſed quibus pro arbitrio ſuo cuiuſvis interſit, cum maximo illud divinationis periculo fieri, quis inficiabitur? Ergo §. *n.* decidendi ratio adhuc in votis eſt, quam facilè quiſvis deprehendet, ſi oratio ſuperior §. ex integro legatur ſic: *Quod & hi qui generare non poſſunt, quales ſunt Spadones*, relativum enim *quales* explicat, & reſtringit priorem ſententiam indefinitam, vt vſitatiſſimum eſt Iuris Conſultis *in L. ſi plus* 74. ibi: *Qui nomen quale fuit vendidit, dumtaxat vt ſit, non vt exigi etiam aliquid poſſit, & dolum præſtare cogitur*, ſic *in L. vulgo* 2. *D. de vſur.* Vndè §. ſenſus eſt; adoptare licere ijs qui generare non poſſunt, quales Spadones i. e. ea ex cauſa, qua Spadones natura liberos habere impediuntur, cumque ad tempus in eis illud contingat, ideò adoptio permittitur, vt ſuppleantur liberi, qui non ſunt, ſed poſſunt eſſe, in quo ſatis naturam imitatur, vt probat Iulius Patius *cent. 1. quæſt.* 32. quod ſi generare haud poſſunt, non quales Spadones, ſed quia perpetuo ad generandum vitio laborant, quales ſunt Caſtrati, alia cauſa erit; nam in his nihil eſt, quod jure ſuppleatur, cum nec actu, nec habitu ſperent liberos procreare, quarè, & adoptio illis conceſſa non erat, ne à veſtigijs naturæ omninò diſcedere videatur, quod fieri non licuiſſe ſupra abundè probavi.

Enimverò Imperator Leo *novel.26.* Caſtratis quoque permiſit adoptare, quo poſſint indigẽtiam liberorum compenſare; quemadmodum, cui vocis vſus ademptus eſt, linguæ munia per manum expediri ſolent, & qui ſermonem labris expeditis fundere nequeunt, ſcriptura ad ordinandas res ſuas non prohibentur.

Redeo iam ad dubitandi rationes; nihil autem facit adverſus aſſertionem, quod Spadones apud Ædiles pro morboſis minimè habeantur; nam hi generare actu non poſſunt propter vitium naturæ Theophilus *h.§.n.* non vero, quia morbo vllo temporario, aut perpetuo afficiantur; quod vt magis deprehendatur breviter ſciendum eſt, vitium in vſu juris aliud eſſe complexum, aliud ſimplex, ſive incomplexum; vitium complexum, eſt vitium, & morbus, vt ex huius definitione apparet relata *in L.1.§.7. D. de ædilit edict.* quo referendus eſt *Text. in L. ſi cui lingua 8. cum duobus ſeqq D. eod.* quidquid ſentiat Paulus Zachias *L.2. quæſt. medico legal q.2.* vitium incomplexum eſt vitium, & non morbus, cuius exempla ſuppeditant *Text. in L. idem 10.§.fin. L. ſeq.* juncta *L. qui clavum 12.§.1.& 2. D illo tit.* & huc pertinet, *L. inter ſtrupum 101.§.penult de verb. ſignific.* quamvis indefinitè, minuſquè rectè putet Hotomanus *ad tit. de ædilit edict.* nihil intereſſe inter vitium, & morbum; licèt Ædiles perſpicuitatis cauſa morbum, vitiumvè edicto complecti aiunt *d. L.1.§.aiunt 1.* ductus, ſive potius deceptus, vt ſuſpicor verbis his *d.L.1.§.7. ego puto,* [ loquitur Iuris Conſultus de vitio, & morbo] *Ædiles tollendæ dubitationis gratia, bis de eodem idem dixiſſe, ne qua dubitatio ſupereſſet.* hæc oratio ambigua eſt, propter ipſius ſtructuram, nam & referri poteſt ad vitium incomplexum, quod proximius erat in *verſ. Vitiumque à morbo d.§.7.* & ad vitium complexum, quod idem cum morbo eſſe nihil prohibet, ac in *princ. d.§ 7* præceſſerat, idque potius dicendum eſt, quia in ambiguis orationibus ſequenda eſt interpretatio, quæ vitio caret *L in ambigua 49. D. de legib.* nec exindè Ædiles non curaſſe colligitur de vitio incomplexo, quod falſum eſt *dict. L idem 10.§.2.* quin

imò



imò exiſtimo, Ædiles edicto non ſolum complecti morbum, [ſive temporalem, ſive perpetuum] qui non eſt vitium, veluti tabes, febris *d.L.1.§.7.* ſed vitium, quod eſt morbus, vt ſi cui lingua abſciſa, vel cuiuſvis alterius membri quid laceratum ſit *d. L. ſi cui lingua 8. L. idem Offilius 10 in princip.* & vitium, quod non eſt morbus, ſi ex miniſterio præſtando quidquam ſubtrahit, videlicèt ſi quis plures digitos habens, nullo eorum ad miniſterium ſuum expeditè vti poſſit *d. L. 10. §. 2.* Ergo Ædiles rectè morbi, ac vitij meminere; quamvis ſi quæratur de vitio, quod ſimul eſt morbus bis de eodem idem dicerent; ne ſi de vitio ſine morbo, ſive è converſo quæſtio fuiſſet vlla in poſterum dubitatio ſupereſſet: hinc facilè intelligitur Spadonum vitium in edicto non debere contineri; quia eſt vitium abſque morbo, ſuoque miniſterio nihil ſubtrahere videtur; itaque ſani ſunt apud Ædiles, ſic intelligendus eſt *Text. in dict. L. Pomponius 6. §. fin.* Vndè cum Venditor ſciret, ſervum venditum Spadonem eſſe, Emptor ignoraſſet, propter mollem conditionem à Martiale ſupra decantatam ex empto erit actio, vt equo caſtrato, venditoque competit, cui ſuppar Spado eſt *dict. L. Ædiles 38. §. 7. verſ. Idem refert*, obſervat Olano *vbi ſupra ex num. 27.* ſecùs ſi Caſtratus eſſet *dict. L. ſin autem 7. L. Ædiles 38. §. ſed enim*, quo pertinent ſuperiores loci Iuvenalis, & Claudiani, nam vitium hoc maximè miniſterio ſuo impedimento eſſet, vt in *dict. L. quæritur 14. §.7. L. 10. §. 3.* juncta *L. qui clavum 12. §. 3. & finali*, quo obſtare deſinunt: vel ſi mavis Spadones morboſos eſſe levitèr non infitieris, huiuſmodi enim morbus ad edicti cauſam non pertinet *L. Ob quæ vitia 4. §. fin. D. de ædilit. edict.*

Non obſtat ſecunda ratio dubitandi; nametſi maiori ſexaginta annis permittatur ſolum adrogare, hoc ideò fiebat, quia melius eſſet minorem annis ſexaginta de liberis procreandis cogitare, quam in alienam familiam quemquam adſciſcere Donel. *lib. 2. Commentar. cap. 23.* at non exindè colligitur ſexagenarios extorres eſſe à commercio generandi, ſed diffici-

lius

liùs minoribus ſexaginta annis liberos habere, quo referendus eſt ſuperior Ciceronis locus *in Orat. pro Dom. ſua*: hinc Senatus-Conſultum Claudianum Nuptiarum prohibitionem Legis Iuliæ, & Papiæ in Maribus ſexagenarijs reprobavit, cum adhuc idonei ſint ad generandum, vt docet Ariſtoteles *dicto lib.7. Politic. cap.16. & lib.7. de hiſtor. animal.* nam & Catonem Cenſorinum anno iam octuogeſimo exacto è Solonia Filium generaſſe enarrat Plutarchus *in Catone Cenſor.* & Maſſiniſam Regem per octoginta ſex annos habuiſſe Filium nomine Methymatuum, author eſt Plinius *lib.7. cap.14.* ſed nec omninò expertes eſſe generationis Fœminas quinquagenarias dicendum eſt; cum & Iuſtinianus liberas Nuptias his cum quovis pubere maſculo contrahere permiſerit *L. pen. Cod. de Nuptijs.* Præterea tenenda eſt Antonij Fabri ſententia *in dict. L. & qui vxores 30.* exiſtimantis Legem ſupplere naturam, quæ non eſt, ſed eſſe poteſt; quod ſic eſt accipiendum, vt poſſit eſſe facto, etſi non jure; itaque liberos his, quibus jure deficiunt, cum natura eos habere poſſint, alio jure videlicèt adoptionis, ſive adrogationis lex ſupplet: meritò ergo Sacerdotes, & Cœlibes adoptare poſſunt, dummodò adoptent, quos ipſi non genuerint, non verò proprios ſpurios, vt docet Corraſſius *in d. L. 30.* ne ad vocandos hos ad ipſorum ſucceſſionem, [ à qua jure removentur ] adoptione vtantur *argum. Text. in L. 3. §. liberi, L. ſi poſt mortem §. penult. D. de bonor. poſſ. contr. tabulas,* quo referenda eſt *dict. L. 3. tit. 22. partit. 8.* neque prohibet adoptionem Pronepotis, ac deinceps *in dict. §. licet autem 5.* quod Pater adoptans per ætatem Proavus, adoptatus Pronepos facilè eſſe non poſſit; nam in adoptione ſolum quæritur, quod is qui adoptat Pater adoptati fiat, quem non generavit, quod cum plena pubertate præcedat Filium adoptivum, ſive primum, ſive ſecundum, ſive vlteriorem gradum adoptione faceret, ſimilitèr obtineret *L. juſta interpretatione 201. D. de verb. ſignif.* itaque parvi erit Avum, aut Proavum per ætatem eſſe non poſſe.

Hinc



Hinc lucem accipit *Text. in L. ſed eſt quæſitum 6. D. de liber. & poſth.* quem dilucidè expoſuit D. Franciſcus de Amaya *vbi ſupra à nu. 69. ad 83.* ſed nova adhùc Iuris Conſultum ornandi ſuppellectili, votis fruor vſque ad invidiam fœlicibus. Ait Textus Spadonem, & quicũque facilè non generat, Vxorem ducere, adoptare, poſthumumque heredem facere poſſe; num & Caſtrato poſtremum hoc liceat, arduum fortaſſe non erit definire, nam Proculi ſententiam ſecuti Iulianus, & Vlpianus Caſtratum vtilitèr poſthumum heredem inſtituere negant *dict. L. 6. §. penult.* quaſi in noto, confeſſoque eſſet, Sabinianos adverſæ opinionis caſtra metantes poſthumum, [ alienum arbitror, veluti Fratris ſui Filium naſciturum, vt *in L. penult. D. de legat. 1.* ] heredem ſcribere Caſtrato permitti adfirmaſſe.

*Huc Recitatio acceſſerat, cum campanulæ ſonitu excluſſa eſt tempore, neque aliud nunc ipſi continget, etiam ſi plura non dignò prætermittenda ad manum habeam, quibus maximè locupletaretur Oratio; ſed ampliùs nihil erit, quia eo ſemper fui animo, vt quæ à voce tantum horariam vitam tumultuariè acceperunt, eadem foras miſſa prælo perpetuam debeant.*

*CÆSAR-AVGVSTÆ*

Apud Heredes Petri Lanaja, & Lamarca, Regni Aragonum, & Vniverſitatis Typog.
Anno M.DC.LXXXIV.

✠

# ACADEMICA ASSERTA,

## DE ORIGINE; ET NATVRA DEPORTATIONIS

### OCTAVO SOLE DELIBATA.

*Ex §. Cum autem js, Inſtitut. Imperial. lib. 1. tit. Quibus modis jus patriæ poteſtatis ſolbitur.*

I.

CVM olim Romani in homines improbos, & Reipublicæ pernitioſos abominarentur, â maliſque hominibus ſocietatem civilem purgare deſiderarent, invéta fuit ratio, qua Civitate, ſalvo inſtituto Maiorum, (A)

(A)

*Sumpto ex LL. Valeria, & Portia, quas exornat D. Ioſephus Retes in Coment. ad tit. de interd & relegat. lib. 1. cap. 1. num. 1. & 2.*

expelerentur: hanc fuiſſe aquæ, & ignis interdictionem certi juris eſt (B) qua poſita in aliam civitatem profugere cogebantur, in quam recepti Romam, juraque Civium Romanorum, tanquam mortui amitebant. (C)

(B)

*Tacitus lib.6. anual.* ibi: Servilius, Corneliuſque perdito Scauro famoſi inſulas interdicto igni, & aqua demoti ſunt, *Pomponius ad Quintum Mutium in l. vlt. de legationibus, & in l. vlt. ff. de duobus reis de hac re plura Briſonius lib. 3. ſelect. cap. 3. per tot. ſed etiam erat aquæ, & ignis acceptio veluti in nuptis, l. 66. §. virgini*, D. *de donat. int. vbi plura de hac re aducit Gotofred. vtramque amplexus eſt* Ovid. *lib. 1. Faſt. his duob. verſ.*

An quod in his vitæ cauſa eſt, hæc perdidit exul,
His nova fit coniux, hæc duo magna putant?

(C)

*L. eius §. 1. qui teſtam. facere poſ. l. 1. §. hi quibus de legat. 3. l. 10. §. ſed ſi per pœnam, D. de in jus vocan. l. 1. C. de hæred. inſtit. Iuſtin. in n. §.*

## II.

SEd poſtea in deſuetūdinē abijt aquæ, & ignis Interdictio propagato inſularum imperio, in eius que locū Deportationem inductam fuiſſe fatemur. (A) Eſt autem Deportatio, *propter aliquod male-*

fi;

(A)

*L. 2. §. conſtat de pœnis, l. 3. ad l. Iul peculatus, l. penul. §. fin. de extraordin. cogniti. d. l. 1. §. hi quibus de legat. 3. Novel. 22. §. Deportatio in Autent. tit. de nupt. collat. 4. Amay. obſerv. Iuris. lib. 1. cap. 11. num. 3. in vera interp. l. 48. §. Cornelio, D. de jure Fiſc.*

*ſitium capitale in inſulam condemnatio*, (B) qui vero eam patitur omnia Civitatis Romanæ jura, id eſt, ea omnia, quæ ſunt juris civilis, non autem ea quæ juris gentium ſunt amiſiſſe pro comperto habemus. (C)

(B)

*L. 6. de interdic. & Releg. l. relegati, D. de pœnis.*

(C)

*L. 17. §. 1 D. de pœnis, l. 5 de bonis damnat. d. l. 6. D. de pœnis, l. 15. de interd. & reg. d. l. 1. §. hi quibus de leg. 3 l quoties 14. in fin. de novation. §. 2. inſtit. de cap. dimin. & h. n. §.*

## III.

AD ea quæ Ius Civile reſpicit, non ſecus ac mortuus, vel peregrinus deportatus habetur, (A) qua propter Patriam poteſtatem erga liberos, quæ propria Civiū Romanorum eſt, diſolvi ſequuta deportatione manifeſtum eſt, (B) nec intereſt an ipſe Paterfamilias deportetur, an verò Fi

lius

(A)

*L. verum 63 §. penult D pro ſocio, l. 1. §. filium 8 de bon. poſſeſſ cont. tabul. l. 2. D. de publicis Iud. l. 4. § ſi Deportatus de bonis libertor. cuius text. deciſioni non obſt. Alphenus in l. 3. de interd. & releg vt refere Retes ad d. l. 3. in Coment. de interd & Releg. d. l. 10 §. ſed ſi per pœnam. de in jus vocan. d. l. 1. C de hæredib. inſtit.*

(B)

*Vlpianus lib. reg. tit. 10. §. 1. Caius lib. 1. inſt. tit. 6. § Item, de poteſtate 2. l. ſi pater 9. C. de ſent. paſſ h. n. §. expreſſus text. in l. 17. §. vnic. D. de pœnis.*

(C)

D.l.1.§.filium 8.de bonor. poſſeſſ. contr.tab.l.Gallus 29.§.& quid ſi tã tum, D.de liber.& poſt.Vlpian.tit.10 §.2.expreſſus text.in l.6. C. de ſententiam paſſ.

(D)

Expreſſus text.Vlpiani in d.tit. 10.§.2.ab arg.text.in d. l.ſed ſi hac lege, §. ſed ſi per pœnam,D. de in jus vocand.d.l.1.C.de hæredib.inſtit.

(A)

Expreſsi text.in leg.1.2.3.6.7.8. & 9.& paſsim tot.tit. C.de ſentent. paſſis.

(B)

Ab argum text in d.l.1. §. à Præfectis, de leg.3.d l.inter, §.Deportandi, D.de interd.& Releg.

(C)

Expreſſ.text.in d.l.1. §. à Præfectis d.de leg.3.d.l.inter.§.Deportandi.D.de interd.& Releg.

(D)

Dict. l.1. §. Deportatos, D.de leg. 3.d.l.2. §.1.de pœnis.

liusfamilias; (C) neque enim magis Civis Romanus Peregrinum in poteſtate habere poteſt, quam Peregrinus Civem. (D)

## IV.

TAmetſi js, qui huic deportationis pænę ſubditur civitati perpetuo mortuus cenſeatur, poteſt tamen gratiam, ſeu veniã delicti impetrare à Principe, (A) nec non ab his quibus deportare licet. (B) Poſſunt autem Pręfectus vbi Pręfectusq; Prætorio, aut js qui vice eius Principis mandato cognoſcit. (C) Reliqui namque magiſtratus tum demum, ſi id Imperator approvaverit, & deportationis inſulam aſsignaverit. (D)

## V.

AN licere Provinciæ Præſidi aliquem deportare quæſtionis eſt? digladiantur Interpretes, (A) nos autem negativam partem amplectimur cũ Vlpiano, (B) certum enim eſt poſſe, quem putat deportandum anotare, nomenque eius Principi ſcribere, vt in inſulam deportetur (C) Vicarium Pręfecti Prætorio poſſe deportare, decedẽte Pręfecto Prętorio defendimus, tunc enim omnia exercet, quæ Præfectus Prætorio poterat. (D)

## VI.

ILlud autem indubitati juris eſt, Deportatũ

in

(A)

Bartolus in l. ſi quis, §. eius de injuſto rupt.l.1. quando appell. ſit, poſſe affirmat, & ex l.6 §. qui univerſas, D.de offic.Præſidis, ſed adverſantur inſtit.Interpret. & præcipuè Minſing. h.n. §.n. 10. ductus ex varijs Iuriſconſult. reſponſis quos ibi refert.

(B)

D.l.2.§.1. de pœnis ex d.l. inter pœnas, §. Deportandi, D. de interdictis, & Releg.& ex l.1. §.Deportatos, de legat.3.

(C)

Expreſſus text.in d.l.2.§.1.D.de interdictis, & Relegatis.

(D)

Text.cum Gloſſ in l.2.C.de officio eius qui vic.alt ger. Gloſſ. ibi: Vicegerentem Præfecti Prætorio Deportandi jus habere.

in integrum ex Indulgẽtia Principis reſtitutum per omnia priſtinum ſtatum recipere, (A) ſed an ſit Filius in poteſtate Patris, cui dignitas, ac bona reſtituta ſunt, abſque eo quod de Patria poteſtate fiat mentio, non ſatis conſtat: Papinianus autem in poteſtate eſſe defendit, quã ſententiam laudat Conſtantinus, (B) & nos tuemur. Quid ſi deportatus Indulgentiam pœnæ tantum conſequatur? tunc nec Patriam poteſtatem, nec bona publicata recuperare palâm eſt. (C)

(A)

*Iuſtin in n §. d.l.1.C.de ſententiã paſſus, & reſtit.d.l.7.eodem*, Multum autem refert vtrum verbo *Indulgere*, vtatur Princeps in reſtituendo, an verbo *Reſtituere*; per primum pœna remititur, per ſecundũ jura Civitatis, bona, & Patria poteſtas reſtituuntur: *ita Bald.ad d.l.1.C.de ſentent. paſſ. quo conciliantur text. in l.cum Patrem, & l.generalis, C. de ſentent. paſſ.*

(B)

*Text.expreſſus in l.vlt.C de ſententiã paſſis, & reſtit.* quod ſi vtatur Princeps ambiguo verbo quod ad Indulgentiam, & ad reſtitutionem trahi poſsit reſtituiſſe intelligitur, *ita gloſſ ſecundum Bartulum in l.1. §. ſi quis vltro, D de quæſt.*

(C)

*Expreſſi text. in d l.2. & l. ſi pater veſter, C.de ſententiam paſſ.*

*Relegatorum naturã conſulto prætermitimus, qui ſcire, vellit conſulat Retes tot.tit. de interd. & releg.*

---

PROPVGNABIT D. GREGORIVS FELIX PALACIO PHILOSOPHIÆ DOCTOR, ET I. S. PRÆSES D. THOMAS IOANNES A LA SALA ET PAVL, I. V. D. OLIM IN OSCENSI ACADEMIA DIGESTI VETERIS INTERPRES. LOCVS CERTAMINIS ACADEMIÆ CLAVSTRVM. DIE 17. MARTII, ANNO 1687.
HORA II. POST MERIDIEM.

# ASSERTIONES ACADEMICÆ.

## OCTIDVO DISPOSITÆ:

***Ex Iuſtiniani ſententia in §. Pœna ſervus 3. Inſtit. quib. mod. ius Patr. poteſt. ſolvit.***

**I.**

QVEmadmodum morte (A) naturali patria poteſtas ſolvitur, ſic etiam morte civili (B) dirimitur, quę tunc accidit cum quis ſer-

vus

(A)

*Princ. Inſt. h. n. tit. l. pupillus 239. in princ. de V.S. l. ſi ita eſſet 15. quand. dies legat. l. 3. de his qui ſunt ſui. Vlp. in frag. tit. 10. §. 2. Novell. 22. cap. 20. vbi Gotofred. lit. K.* Nam mors vltima linea rerum eſt. *Teſte Horatio 1. Ep. 16.* Et cuncta mortalium mala diſolvit. *Salluſt. in Catilin. Bachov. in §. 2. hoc noſt tit. Fab. in Iuriſp. tit. 12. prin. 1.*

(B)

*L. verum 63. §10 ff. pro ſoc. l. 1. § 9 de bon. poſſ. cont. tab. § 1. h. n. tit. ibi:* Perinde quaſi eo mortuo, deſinunt liberi in poteſtate eius eſſe. *L. 29. § 5 in fin. de lib. & poſth. intereunt etiam homines maxima aut media capitis diminutione, quæ ob id vulgo mors civilis dicitur § 2. in fin. de cap. dim l. 4. § 2. de bon libert. l. 7. de his qui ſunt ſui l. 10. verſic. Labeo de iur. Patr. Rodulph. Faber. Syſtem. lib. 1. tit. 12. num. 2.*

L.

vũs pœnæ (C) efficitur, & capitis diminutionẽ maximam (D) paſſus eſt: veluti ſi ob delictũ atrocitate ſententię damnatus fuerit, quia tunc non alium dominũ, quã ipſam quodammodo pœnam (E) habere intelligitur: quod idẽ in alio quovis genere (F) ſervitutis ob-

ſer-

(C)

L. ſunt quidam 17. de pœnis, l. ſervitutem 209. de R. I. l qui vltimo 29. l. quod ad ſtatum 12. l. 22. l. 36. l. 31. ff. de pœnis. D. Ioſephus de Retes, 1. Opuſc. cap. 22. num. 6. de qua ſervitutis pœna obſervãdi sũt tex. in l. ſi quis filio 6. §. ſed etſi quis 6. de iniuſt. rupt. l. ſi quis mihi 25. §. ſed etſi quis 3. de adq. hæred l. per ſpiciẽdum 11. §. vlt. l. quod ad ſtatum 12. de pœnis.

(D)

L. 1. §. filius autem, de ſuis, & legit. quæ magna interdum nuncupatur, l. 1. §. capitis 8. verſic. Proinde ad Tertyl. interdum media dicitur, ex quo lucet deciſſio tex. in l. cognitionum 5. §. conſumitur de extraordin. cognit. vbi amiſſio libertatis referri debet ad maximam; amiſſio vero Civitatis ad mediam. Aliter Cujatius 3. obſ. 10. Duaren. 1. diſp. 9. Ant. Fab. in Iuriſprud. t. 16. prin. 6. illat. 3. Revard. 3. var. 5. Bacon. à Bacuna lib. 2. declarat. 18. Alberic. Gentil. 3. lect. 20.

(E)

L. ſunt quidam 17. de pœnis, l. 1. de bonis damnator. vnde legatum ipſi relicto pro non ſcrtpto eſt, l. 25. § 3. de adq. hæred. l. 1. C. de hæred. Inſt. l. 3. de his quæ pro non ſcrip. l. 11. de alim. legat. Petr Fab in l. 32. de R. I. l. 3. de capit. minut. l. 7. ad leg. Cornel. de falſ. Fab. vb. ſup. princ. 4.

(F)

Veluti ſi liber homo maior viginti annis ad pretium participandum ſe venumdari paſſus ſit, § 4. Inſt. de iur. perſ. l. 1. quib. ad libert. proclam. non lic. l. 2. ſi lib. ing. eſſ. dic. l. 7. § 2. de lib. cauſ. quæ voluntaria, ſervitus appellatur à Tacito de morib. Germ. notand. tex. in l. 13. § 1. de re iudic. Hug. Grotius lib. 2. de iur. belli cap. 5. aut ſi libertus ingratus in ſervitutem redigatur, § 1. Inſt de cap. dim. l. 2. C de libert.

&

ſervatur; cũ eam veteres mortalitati (G) comparaſſe certum ſit.

Ser

& eor. liber. cap. de famulis 3. de ſerv. non ordinand. Can. Diaconi 35. Can. Epiſcopus 58. 12. quæſt. 2. Gonzalez Tellez in dict. cap. de famulis, num. 11. qui apud hoſtes ſunt huc non ſpectant propter poſtliminium, & legem Corneliam § 5. Inſtit. quib. non eſt perm.

(G)

L. quod atinet 32. l. ſervitutem 209. de R. I. l. 59. de condit & demoſt. l. 46 de furtis, l. 1. § quand. act. de pecul l. ſi mihi 92. de ſolut. l. 6. qui, & à quib. Harmenopol. lib. 1. tit. 14 § 4. ibi: Quoniam ſervitus ferè morti æquiparatur. Vnde, & naturæ contraria dicitur in § 2. de iur. perſon. Ariſtol. 1. politic. 3. ſanct. Yſidorus lib. 5, etymolog. Servitus malorũ omniũ poſtrema eſt, quæ liberis omni ſuplicio gravior eſt nam vbi libertas perijt, vna ibi perierunt, & omnia.

## II.

SErvi pœnæ eficiuntur qui in metallum (A) vel in opus metalli perpetuo damnãtur; ſecus tamen

ſi

(A)

L. aut damnum 8 § 4. de pœn. metallum eſt, vbi exules deportãtur, ad eruendam venam, marmoraque ſecãda in cruſtas, teſte Divo Yſidoro 5. orig. cap. vlt. de hac veteri pœna meminerunt Hyppocrates Epiſt. ad Demagor. Div. Chriſoſtom. 3. de provident. Celtiberiæ noſtræ Pindarus Aurel. Prudentius Hym. in Sact. Laurent. vbi cecinit.

Aurum quod ardenter ſitis
Effoſſa gignunt rudera,
Et de metallis ſqualidis
Pœnalis excudit labor.

Hinc metallarij dicti, Manilius lib. 4. Aſtron.

Scrutari cæca metalla,
Depoſitas, & opes, terræque exurere venas.

Eleganter vt ſolet Claudianus lib. 2. debell Get.

Quidquid luce procul venas rimata ſequaces
Abdita pallentis fodit ſolertia Beſſi.

L.

*L. 17. ff. de pœn. qui in metallū damnabātur faſtibus prius cedebantur. Paul. 5. ſent. tit. 18. l. vlt. de efrac. l. 2. de termin. mot. l. in ſervorum, § 2. de pœn. D. Athanaſius Epiſt. ad ſolit. vit. agent. Hac pœna pluries Chriſtiani damnabantur Tertul. in apol. cap. 12. Euſebius lib. 8. Hiſt. Eccleſiaſt. Cujuat. 13. obſ. 13. Pet. Fab. 2. ſemeſt. 11. Retes 1. opuſc. cap. 22. nam. 6.*

ſi ad tempus; (B) quamvis inter eos qui in metallum, & in opus metalli dati fuerint, diferentia in vinculis (C) tantum ſit. Similiter qui beſtijs ſubijciuntur (D) ſervi quoque ſunt; exquibus, quidam ſtatim conſumendi feris tradebantur; quidam non: Diverſi

ta-

(B)

*Dict. l. aut damnum 8. §. in miniſterium 8. de pœn. ibi:* Si vero ad tempus damnantur retinent libertatem, *in eadem cauſa erant, qui condemnati auctorabantur arenæ de quibus plura Lipſius lib. 2. Saturnal. cap. 5.*

[C]

*Dict. l. 8. § inter eos 6 de pœn. l. 10. § 1. l. 29. § 6. l. 36. eod. l. 5. de manumiſſion. l. 3. § penult. de crimin. ſtellion. ex quo quidam diferentiam faciunt inter damnatum ad triremes, & ad opus triremium Gotofred. in d. l. 8. § 6 lit. T. quæ pœna remigationis, haud recte ab aliquibus pęne damnationis in metallum comparatur Gudelin. de iure noviſ. l. 5. cap. 15 num. 9.*

[D]

*Dict. l. 8. § qui cunque 11. de pœn. l. vn. C. Theod. ad l. Fab. de quo genere pęnæ loquitur Vopiſcus in Aurel. dicens:* Mneſtheus poſtea ſurrectus ad ſtipitem beſtijs obiectus eſt. *Vnde* ſurrigi *ad beſtias, aliquando* ſurripi *veteres dixerunt, vt obſervat Caſaubon. in not. ad Trebell. Pollion pag. 208. Salmas. in not. ad Vopiſc. fol. 379. ex quo lucem accipit Vlp. lib. 8. de Ofic. Proconſ apud Rufinum in collat. leg. Rom. & Moſaic. ſolebant ad ſtipitem alligari, vt pulchre hoc ſuplicij genus depinxit Prudent. noſter in Hamartig. hijs verſibus*

Sanguinis humani ſpectacula publicus edit
Conſenſus, legeſque iubent venale parari
Supplicium, quo membra hominum diſcerpta cruentis
Morſibus oblectent hilarem de funere plebem.

tamen ſunt; qui in opus publicum (E) condemnati dicuntur.

*alia tradunt Caſelius 1. var. 12. Bulengerus de venat. circi cap. 31. alij nō in lanienā ſolū dabantur, ſed vt cum beſtijs depugnarent, l. is qui 4 ff. de acuſſat. vbi Gotofred. lit. S. Apuleius lib. 10. de Aſin.*

(E)

*L. vlt. de efract. l. ſunt quidam 17. § 1. de pœn. quibus hodie, qui ad triremes damnati ſunt equiparantur, neſcio an recte Gotofred. in d. l. 17. lit. T. Vinnius h. § n.*

## III.

Qvi vltimō ſuplicio (A) damnati ſunt, cōfeſtim pœnę ſervos fieri non dubitamus, hoc nimirum effectu, vt ſtatim libertatem, & Civitatem (B) amitant. Sed an omnes qui ad mortem condemnantur in hac cauſa ſint? vix credimus, niſi pœna tractum (C) temporis habuerit, nō verô ſi damnati conſumuntur

[A]

*L. vltimum 21. l. qui vltimo 29. de pœn. l. quod ad ſtatum 12. l. horū qui 24. ff eod. l. 6. § ſed et ſi 6. de iniuſt. rup. ſummum ſuplicium dicitur à Paulo 5. ſent. tit. 17. § 2. extrema pœna in l. 5. C. Theod. de ofic rect. prov Apuleius lib. 10. de Aſin. vltima pœna Sueton. in Iul. Livius, lib 3. Plinius 2. Epiſ. 14. noviſſima ſuplicia, in Novell. 14. vid. Cujat. 3. obſ. 36.*

(B)

*Arg. l. 12. l. qui vltimo 29 de pœnis. l. 6. §. ſed et ſi 6. de iniuſt. rupt. Vinius in h. §. n. in fin. interdum ad quæſtiones ſervantur. Gotofred. in dict. l. qui vltimo 29. lit. B. Bachov. in hoc §. noſtro.*

(C)

*Arg l. aut damnum 8. § eſt pœna 4. & l. 29. de pœnis, hoc quadrat deciſſioni noſtri textus, ſi qui beſtijs ſubiciuntur aliquantulum ſerventur, nam certis temporibus ſpectacula dabantur, quo pertinet, l. vlt. C.*

ad

tur ſtatim, (D) nec populi voluptatibus (E) reſervantur, veluti qui in ludū ſivê venatorium, (F) ſivê gladiatorum (G) olim damnari conſueverunt.

Cum

*leg Fabiam. ut ita damnati, beſtijs obicierentur primo manere Bachov. in h. §. n.*

(D)

*Hi ſunt qui paſſim ad beſtias damnati dicuntur, & beſtijs ſtatim adicuntur, Dio Caſius, lib. 58. Budeus in annot. poſter. Cujat. 13. obſ. 10. Apuleius lib. 10. de Aſin. aur* Illico hîc eadem vxor eius, quæ nunc beſtijs proter hæc ipſa fuerat addicta.

(E)

L. *ad beſtias 31. de pœnis, hi erant qui pugnandi cauſa cum beſtijs intromitebantur, l is qui 4. de acuſ. & horum melior erat conditio, quia corporis agilitate, populi vel principis favorem impetrabant, l 3. § 5. de teſtibus. Gotofred. in l. 18. § 17. de muneribus. Scaliger in 4. Manilij.*

(F)

L. *aut damnum 8. § quicunque 11. & § ſervos 12. de pœn. diſtat. venatorius ludus à Gladiatorio quod qui ad hoc damnati ſunt conſervantur ad populi voluptates, ut diſcant verſari in Theatro, & pugnare cū beſtijs vel ut artem diſcant mimicam, vel purricham d. l. 8. § quicunque de quo accipiend. Tertull. in lib. de ſpectaculis. Caſiodor. 5. var. Epiſt. antepen. de qua venatione plura congeſſit Amaya ad tit. C. de excuſat. munerum, lib. 10 num. 5. & 10. Dempſterus ad Roſinum. lib. 5. cap. 25. & ante omnes Lipſius lib. 2. Saturnal fere per tot.*

(G)

*Dict l. 8 § quicunque, & l. ad beſtias 31. de pœn. Hi damnari ad beſtias vel gladium dicebantur, l. ſiquis mihi § ſiquis plane de adquir. hær l. 6. § 6 de iniuſt. rupt aliquando ad ferrum damnati dicuntur, l. 8 § fin. qui teſtam fac. poſſ. Vlp. in fragmen tit 3 qui ad gladium damnabantur intra annum erant conſumendi. Paul. 5. ſent 17. § 2. l. 18. in fin qui teſt fac. poſſ. Vlp 10 collat leg. Moſaicarum Gladiatores ſuſtulit. Conſtantinus in l. vnic. C. de gladiat. lib. 11. referunt Sozomenus lib. 1.* Apud Romanos tunc primum ſublatum Gladiatorū ſpectaculum *Euſeb lib. 4. de vit. conſtant. vetuit Gladiatorum cedibus pollui vrbes Lipſius lib 1. Saturnal cap. 12. Iacobus Gotofred. in l. 1. C. Theod eod. aliter. Cujat. 13. obſ. 10.*

## IIII.

CVm hi qui in metallū, in opus vê metalli damnātur, ſoleāt aliquādo, (A) Indulgentia Principis, in integrum reſtitui, obſervandum eſt numquam niſi ex pleniſsima, & ſpeciali (B) reſtitutione patriam poteſtatem recuperare potuiſſe, quamvis ex Conſtantini (C) Reſcripto hoc iam neceſſarium non ſit; imo quibuſcumque verbis reſtitutio fiat per omnia priſtinum ſtatum conſequuntur. Hodie iure noviſſi-

(A)

*§ 2 h. n. tit l. ad ſuceſſionem 1. § ſed ſi 1 & l. in metallum 4 ff de ſentensiam paſ & reſtit. obſt l. generaliter. 24. § ſi ſervus 5. de fideicom. libert cum l. in metallum 12. de iure fiſci ubi Cujat. recte autem dicitur* ex Indulgentia Priucipis, *nam Princeps ſolus pęnæ gratiā facere poteſt, aliter Myſingerus in dict § 2. h. n. t. Bachovius ibidem n. 1.*

(B)

L. *cū ſalutatus 1. C de ſent. paſſ. ibi:* Vt autem ſcias, quid ſit in integrum reſtituere, honoribus, & ordini tuo, omnibus cęteris te reſtituo. *Secus ſimplici. & generali Indulgentia, l. cum patrem 2. & l. tutor 4. l. ſi ademptis 5. C. de ſent. paſſ. quibus pugnat. l. in queſtione 13. in fine, C eod. l in metallum 4. C. de bonis proſcrip. vidend. Sfortia de reſt. in integr. quæſt. 91. art. 6 Gotofred. in l 2. C. de ſentent. paſſ. lit. C. Chriſtin. vol 4. deciſ. 208. Petrus Mullerus in Iuriſprud. Element. diſput. 12. theſ. 2.*

(C)

L. *vlt. §. vlt. C. de ſenten. paſſ. olim ius patrie poteſtatis niſi ſpeciali reſcripto non recuperabatur, l. inſulam 6. C. de ſenten. paſſ. Ant. Faber in Iuriſp. Pap. tit. 12. princ. 3. Sicut requirebatur ſpeciale reſcriptum ad dignitatem, & cætera bona, l. cum patrem 2. l. 13. in prin. Cod eod.*

No-

ſimo (D) cum pœnæ ſervitus ſublata ſit reſtitutione opus non eſſe palam eſt.

(D) *Novell. 22. cap. 8. Authē. Sed hodie, C de donat. inter. an verò in univerſum ſervitus pœnæ ſublata ſit, an quoad matrimonium tantum, res in ambiguo eſt, & variavit gloſſ. in l. eius qui, §. vlt. de teſtam. & in Authent. Sed hodie, C. de donat. inter. Scipio Gentilis de donat. inter. lib. 3. cap. 9. illi adheret, ſed non in merito contrarium ſentit. Bachovius ad Padect. in tit. de cap. minut. num. 2.*

Aderit defenſor D. ANTONIUS BLANCO, & GODINO. Præſes FRANCISCVS CABRERA, I. C. B. Extraordinarius Legum Moderator. Die XVIII. Novembris, Anno M.DC.XC. Hora, & loco ſolitis poſt meridiem.

*Cæſar-Auguſtæ: Apud EMMANVELEM ROMAN, Vniverſitatis Typog.*



# OCTIDVAE THÆSSES,

## QVIBVS DESCRIPTIO; EXEMPLA; ET EFFECTVS MEDIÆ CAPITIS DEMINVTIONIS PROPONVNTVR.

***Iuſtiniani ductu in §. minor Inſt. de capit. minut.***

I.

MINOR ſive media (A) capitis deminutio eſt per quã, libertate ſalva Civitas amittitur, (B) quam eos, qui ab iis, quorũ ſub imperio ſunt deſciſcunt, & in hoſtium numerum ſe conferunt, (C)

(A) *Quæ, & ſine gravi vitio magna diceretur, l. cognitionũ 5. §. cõſumit. 3. ff. de varys, & extraord. cog. l. 1. §. capitis 8. ff. ad S. C. Tertyll. iuncta Acury interpretatione ad d. l. 5.*

(B) *L. ammiſſione 5. in princ. & in §. 1. l. vlt. ff. de cap minut. l. ſi quis filio 6. ff. de injuſt. rup. in §. eius, l. 1. §. hi quibus, ff. de leg. 3. l. inter pœnas 6. ff. de interdic. & releg. Vlp. in fragm. tit. 10 §. 2. & tit. 11. §. media,* ibi: Media

(C) aũt qui lege lata; vel Senatus Cõſulto facto hoſtes iudicantur pati defendimus. (D)

dia capitis diminutio dicitur per quam ſola Civitate amiſſa libertas retinetur. *L. deportatus 15 ff. de interdic. & releg. l. ſed ſi hac 10. §. ſed ſi per pœnam, ff. de in ius vocando graviter obſtãt tex. in d. l. 5. §. conſumitur 3. ff. de varijs, & extraordin. cogn. tex. in l. 4. §. fin. ff. de grad. & affin. quam obijcit Hotoman. d. l. 1. §. capitis 8. ff. ad S.C. Orphit. l. tutellas 7. ff. de cap. min l. 1. ff. de vſufruc. leg. l. 2. C. vt nemò privat. l. 17. §. 6. ad S. C. Treb auget difficultatem potius quam tollit illud Ciceronis pro Cecina* Si ſemel Civitas adimi poteſt retineri libertas non poteſt, qui enim poteſt iure quiritum liber eſſe is, qui in numero quiritum non eſt. *Nec minùs contra facit Severi Boecij teſtimonium in topic. Cicer.* Maxima, inquit, capitis diminutio eſt, cum, & libertas, & Civitas amittitur vt deportatio. *Pro quorum textuum expoſitione, videndi ſunt Cujatius lib. 3. obſervat. cap. 10. Robertus 3. ſentent. cap. 9. & lib. 2. recept. lec. cap. 9. Govean 2. variar. lec. cap. 10. Duaren. 1. diſputat. cap. 9. Rebard. 3. var. cap. 5. Donell. lib. 18. Com. cap. 6. Ant. Faber Iuriſp. Pap. tit. 9. Prinp. 1. illat. 3. & tit. 16. princ 1. illat. 3. Marcus Liclama Membr. lib. 10. eglog. 22. Oroz lib. 2. de apicibus iuris, cap. 5. Rethes de interdic. & releg. cap. 3.*

(C)

*L. 5. §. qui deficiunt 1. ff. de cap. minut. l. poſtliminium 19. §. filius, ff. de captivis, l. 14 ff. ex quib. cau. mai. Cujat. lib. 11. Pauli ad edictum ad d. l. 5. ff. h. t. ſed contra facit tex. in l. ſi quis tutor, ff. de tutellis, videndus Cujat. lib. 4. cap. 9. Loriot. de tut. axiomate 3. Donell. 3. Com. cap. 14. vbi Oſſuald. lit. F. Santol. interpret. 6. à num. 1.*

(D)

*D. l. amiſſione 5. §. 1. ff. hoc tit. & ad eam Cujat. Gotofredus ad l. 51. ff. de acq. rer. dom. lit. F. & G.*

II.

NEc minùs Civitatem amittunt hi, quibus aqua, & igni interdictum eſt. (A) Cũ interdictione, ea denegarentur, quibus humana vita continetur (B) in edia, & frigore aliter conſumendi in aliã recipi cogebantur Civitatem, (C) quo facto iura Civium Romanorum deperdebant. (D)

(A)

*Probant. tex. in l. amiſſionem, ff. de cap. minut. l. 1. §. 2. ff. de legat. 3. Vlpian in fragm. tit. 11. qui mediæ capitis diminutionis exẽplum tantum in aqua, & igni interdictione propoſuit, per ea verba:* Quod fit in eo, cui aqua, & igni interdicitur. *L. publicorum 2 ff. de publicis judic. l. licet 103 ff de V. S. l. 2. §. 1. l. 17. §. 1. ff. de pœnis.*

*Cuius pœnę originem fuiſſe ne inſtitutum legum Valeriæ, & Porciæ, violaretur, communiter ab Interpretibus doceri ſolet. Charondas ad ll. antiquas Romanorum, pag. 94. Exornat eas, & ſt breviter Retes lib. 1. de interdic. cap. 1. n. 1. Aulus Gelius lib. 10. noc. Attic. cap. 3. Petrus Faber lib. 2. ſemeſtr. cap. 5. Rebardus ad l. 157. ff. de reg. iur.*

(B)

Hæ duæ, res, AQVA, ET IGNIS, humanam vitam maximè continent. Feſtus in verbo aqua. *Iuncto Vinn. in noſt. §. num. 2. & Cujat. ad d. l. 5 ff. de cap. minut.*

(C)

*Hinc eſt aqua, & igni interdictionis initio voluntarium per eam illatum fuiſſe exilium. Saluſtius in conjuratione,* Item condemnatis Civibus inquit, nõ animam eripi, ſed exilium permitti iubent. *Cic. pro Cecina:* Sic afferant velim, quibus lege, aut Romana, Civitas, aut libertas, erepta fuit, nam quod, ad exilium attinet perſpicue intelligi poteſt quale ſit, exilium enim non ſupliciũ eſt, ſed profugium portuſque ſuplicij, nam, qui volunt pœnam aliquam ſubterfugere, aut calamitatem eo ſolum vertunt hoc eſt ſedem, aut locum mutant, itaque nulla in lege noſtra reperietur, vt apud cæteras Civitates maleficium vllum exilio eſſe multatum. Expreſsius idem Cicero in d. oratione, qui ſi in Civitate legis vim, *Sub audi interdictionem aqua, & igni*, ſubire velint nõ prius Civitatem quam vitam amitterent, quia nolunt, adimitur nõ ab his Civitas ſed ab his relinquitur atque deponitur. *Quomodo intelligendus eſt Ponponius in l. vlt de leg. in l. vlt. ff. de duobus reis, hanc pœnam, proſequitur Retes vbi nuper, cui addi poſſunt Cujat. 6. obſerv. cap. 39. Briſon. 3. antiquit. cap. 5. Pancirolus 1. variar. cap. 41.*

(D)

*L. eius, §. 1. qui teſtamenta facere poſſunt, l. 1. §. hi quibus, ff. de leg. 3. l. 10. §. ſed ſi per pœnam, ff. de in ius vocando, l. 1. Cod. de hæredibus inſtituend.*

*Petrus Faber ad l. ea ſola 97 ff. de reg. iur. Retes vbi nuper. Plinius ſec. lib 4 Epiſtola ad Cornelium Minucianum.* Idem, cum Greco Pallio amictus intra-

traſſet: Carent enim togæ iure, quibus aqua, & igni interdictum eſt: *Quo facit tex. in l. ſed ſi accepto 32. ff. de iure fiſci.*

## III.

Conſequenter aſſerimus media capitis deminutione affici eos, qui in Inſulam deportantur. (A) Deportatione enim, & Civitas adimitur, (B) & Cives ad Peregrinorum conditionem rediguntur. (C) An vero hæc pœna in locum aqua, & igni interdictionis inducta fuerit, & eius ſuſtulerit, quæſtionis eſt? in qua

(A)

*D. l. amiſſione 5. l. vlt. ff. de cap. minut. l. 2. §. conſtat. ff. de pœnis, l 3. ad l. Juliam peculat, l. ſi quis filio 6. §. eius, ff. de injuſt. rup. l. 1. §. hi quibus, ff de leg. 3. l. inter pœnas 6. l. 15. de interdict. & releg qua pœna affecti pro mortuis habentur, l. verum 63. §. vlt. ff. pro ſocio, l. 1. §. final, ff. de bon. poſſ contra tab. l. 4. §. ſi deportatus, ff. de bonis libert. Docent. Cujat. lib. 3. obſerv. cap. 10. Ant. Fab. in Iuriſprud. Pap. tit. 11. princ. 3. & tit. 16. princ. 1. illat. 13 Gilquen. de præſcrip. 3. parte, cap 6. & in l. Gallus. §. & quid ſi tantum, ff. de liberis, & poſthumis Chumacero ſelect. iuris diſput. 10 num. 3. Quod de omnibus mediam capitis deminutionem paſſis dictum velim intelligas cum Bachov ad tit ff. de cap. minut. n 3. per tex. in §. 1. Inſt. quib. mod. ſolvitur patr. pot.*

(B)

*L. deportatus 15 ff. de interdict. & releg. l. 1. §. filium 8. ff. de bon. poſſ. contra Tab. l. 2. ff. de publicis judicijs, l 1. C. de hæred. inſtit. l. 4. §. ſi deportatus, ff. de bonis libert. Videndus Retes d. lib. 1. de interdict. & releg. cap. 2. per tot. Deportatio vero ex ipſa ſentencia vires ſuas exercebat l. 2. §1. ff. de bonis eorum, l. 1. C. de bonis damn. Licèt nondum ad inſulam perductus eſſet deportatus probat ſatis diſſertus tex. in l. 1. §. à Præfectis 4. ff. de leg. 3.*

(C)

*L. ſed ſi hac 10. §. ſed ſi per pœnam, ff. de in ius vocando ibi: Sed ſi per pœnã deportationis ad peregrinitatẽ redactus ſit Patronus. Nec inde inferas deportatũ per omnia à Peregrinũ cenſeri;* hic enim homo nudus eſt ille ſpoliatus toga. *Retes lib.*

qua negativam partem amplectimur. (D)

*lib. 3. de interdict. excurſu 6. nũ. 88. Oſuald. lib. 17. Com. Donell. cap. 4. lit. G. Cavendum tamen à D. Hieronimo Oroz, exiſtimo qui d. lib. 2. cap. 5. num. 7. Deportationem libertatem aufferre poſſe affirmat.*

(D)

*Per textum in l. Imperator 18. ff. de ſtatu hom. l. amiſſione 5. ff. de cap. minut. l. eius qui 8. § 1. & 2. ff. qui teſtam. fac. poſ. l. 1. §. hi quibus, ff. de leg. 3. l. non facile, §. vlt. de grad. l. cum quis 38. ff. de ſolut. l. qui dolo 10. §. vlt. ad l. Iuliam de vi pub. l. vlt. ad l. Corneliam de falſis, l. 1. C. de repudijs, l. res vxoris 24 C. de donat. inter Retes lib. 3. de interdict. excurſu 1. D. Nicolaus Ant. lib. 2 de exilio cap. 5. Bachov. vbi ſupra num. 3. Affirmativam ſententiam tuentur communiter Inſt. interpretes, quibus addi poſſunt. Cujat. 6. obſervat cap. 39. Briſon. 3. antiquit. cap. 5. Gotofred. ad d. l. 1. §. 2. ff. de leg 3. Dorlean ad Tacitum 3. annal. num. 20. Ant. Fab. in Iuriſprud. tit. 11 princ. 2. t. 16. prin. 1. illat. 3. Oroz vbi ſup. num. 11. per textum in l. Peculatus 3. ff. ad l. Iuliam peculat, l. 2. ff. de pœnis l. 5. §. 3. ff. de varijs, & extr. cog. quibus ſatisfacit ſæpè laudatus Retes.*

## IV.

Ex his quid media capitis deminutio efficiat intelligetur, ſi enim per eam Civitas amittitur (A) ea omnia quæ Iuris Civilis ſunt, & Romanis Civibus propria amittentur, (B) illa vero

(A)

*Vt ſatis innuit deſcriptio Iuſtiniani in n. §. Vlp. in tit. 11. frag. §. media tex. in l. 4. §. ſi deportatus de bonis libert. cui contrarius non eſt tex. in l. eum qui 3. ff. de interdict. & releg. Retes lib. 2. de interdict. ad d. l. 3.*

(B)

*Ex l. 17. § 1. ff. de pœnis, l. 1. §. filio, ff. de bon poſ. contra Tab. l. 6. & 9. C. de ſentent. paſ. & reſ. l. ſed ſi hac §. ſed ſi per pœnam, ff. de ius vocando, l. 1. C. de hæred. in tit. tex. in l. Gallus, §. & quid ſi tantum, ff. de liberis, & poſth cui obſt tex. in l. Statius Florus, §. Cornelio Felici, ff. de Iure Fiſci. Pro quorum conciliatione alijs omiſſis adeundi ſunt. Chumacero ſelect. iuris diſp. 10. Amaya lib. 1. obſerv. cap 11. l. 3. ff. ad l. Iuliam peculat. l. 1. §. 2 ff de leg. 3. ibi:* Deportati fideicomiſſum relinquere non poſſunt, quia teſtamenti faciendi ius nõ habent. *L. eius qui, §. 1. & 2. ff. qui teſtam.*

vero quæ â iure gentiū proficiſcuntur, & omnibus hominibus cōmunicantur retinebuntur, (C) cum & ipſa libertas retineatur. (D)

*teſtam fac. poſſ. obſtat. tex. in l. ſi deportati 7. ff. de leg. 3. Retes lib. 3. de interdict. excurſu 5. à num. 43. vſque ad 73. obſt. tex. in l. intercidit. 59. ff. de condit. & demonſtrationib. Cujac. in l. vnica, §. & cum triplici, C. de caducis tol. Valent. illuſtr. iur. lib. 1. tract. 1. num. 4. & 6. idem Cujat. lib. 18. obſerv. cap. 13. obſtat tex. in l. 1. ff. de aſsignand. libert. Ant. Gomez 2. tom. variar. cap. 14. num. 16. Retes vbi ſupra num. 78. etiam contra facit text. in l. 121. §. in Inſulam, ff. de V. O. Cujac. lib. 11. reſpon. Pap. ad d. l. obſtant. tex. in l. 5 ff. de bonis damnat. l. res 24. C. de don. inter. l. 1. C. de repudijs Cujat. ad t. C. de repudijs quibus acriter obſtat tex. in l. ſi quis ita ſtipulatus 56. ff. ſoluto matrim. Amay. lib. 1. obſerv. cap. 12. num. 16. Retes lib. 1. de interdict. cap. 5. per tot.*

(C)

*D. l. ſed ſi hac 10. §. ſed ſi per pœnam, ff. de in ius vocand. l. 17. §. 1. ff. de pœnis, l. 1. §. 2. ff. de leg 3. l. 10. ff. de cap. minut. cui obſtat tex. in l. ſolent, 3. de de alimentis, & Civ. leg. Retes d. lib. 3. num. 82. Oroz d. lib. 2. cap. 5. num. 12. Fab. Juriſprud. Pap. t. 16. prin. 1. illat. 3.*

(D)

*Vlp. in fragm. tit. 11. §. media, ibi:* Libertas retinetur. *Et preter iura, adducta in prima theſi ab argum. probant. tex in l. 24. C. de donat. inter. l. 1. C. de repudijs. l. 5 ff. de bon damn. Ant. Fab. Iuriſprud. Pap. t. 9. prin. 1. illat. 3. Alber. Gent. lib. 3. lec. 16.*

## V.

CVM autem ea, quæ iuris gentium ſunt, mediam capitis deminutionem paſſos retinere dicimus, videamus, ne hoc aliquo fiat effectu, (A) & certum

(A)

*Quod ita eſſe ſuadet I. C. in l. deportatus 15. ff. de interdict. ibi:* Deportatus Civitatem amittit non libertatem, & ſpeciali quidē iure Civitatis non fruitur, iure tamen gentiū vtitur, emit enim & vendit, locat, conducit, permutat, fenus exercet, & cetera ſimilia, *juncta l. ex hoc iure, ff. de juſticia, & iure; maxime cum poſt.*

pu-

tum

tūm eſt ex negotijs contractis poſt deportationē vtilibus experiri, & conveniri poſſe deportatum actionibus. (B) An & ex ante geſtis? Si relictam ei partem bonorum proponas nō deſitebimur. (C)

*publicationem bonorum acquiſita Fiſcum non ſequantur tex. de Deportato intelligendus in l. 22. §. 5. ff. mandati cui non obſtat text. in l. 2. C. de bonis proſcrip. Pacius centuria 4. quæſt. 87.*

(B)

*Tex. in d. l. 22. §. 5. ff. mand. l. 14. §. vlt. ff. de interdict. d. l. 15. eodem, l. 20. in princ. ff. de minor, facit, l. 8. ff. de cap. minut. Duar. ad t. ff. mandati, cap. 2. Baro in l. 2. ff. de cap. minut. Loriot. de iuris arte tract. 17. & tribus ſequent. axiom. 5. nec dubito d. §. 5. l. 22. ff. mand. de publicatis bonis citra capitis diminutionem, atque ita de relegatis exaudiri apud. Forcatul. dialogo 82. n 6. Bar. à ſe diſſentiētem lib. 3. de divid. & individ. oblig. cap. 11. Cujat. in l. 8. ff. qui teſtam. fac. poſſ. Sed male, vt videre eſt apud Oſuald. lib. 17. Com. Donell. cap. 4. litt. G. Nec ſolis Civibus, agendi ius fuiſſe conſtat ex l. 2. §. poſt. aliquod 28. ff. de origine iuris iūct. Cujat. ibidem. De hac actione vtili videndus Retes lib. 3. excurſu 6. num. 84.*

(C)

*Per dictam l. 14. §. vlt. ff. interdict. ibi:* Qui Civitatem amiſsit, & bona detinet vtilibus actionibus tenetur. *Arg. tex. in l. 2. C. ad l.* Jul. *de vi publ. l. 1. ff. eodem, l. 7. §. vlt.* Nulla reſtitutionis ęquitas eſt adverſus eum, qui amiſsis bonis, & Civitate nudus exulat. *ff. de cap. minutis. Si enim nudus exulat, nulla reſtitutionis eſt æquitas itaque obligatio ad fiſcum transfertur in quem bona Deportati pervenerunt, l. 2. de capite minutis, qui licèt hæres non ſit, l. 1. §. 14. ff. Depoſiti, tamen ſucceſſoris loco habetur ideo creditoribus tenetur, l. habere 57. de evict. l. 2. C. ad leg. Iul. de vi pub. l. ſi vt proponis 5. C. de bonis proſcript. l. ſi ademp. 5. C. de ſent. paſ. l. ſi marito 31. l. ſi marito 36. ff. ſoluto matrimonio, l. 2. C. eod. l. ſi tutor 9. §. pen. de tut. & rat. diſt. l. 2. §. 1. de alimentis, & cibarijs legat l. in facto, §. fin. de condit. & demonſt. Valent plures referens lib. 1. tract. 4. cap. 9. num. 6. Nec obſtat tex. in l. vlt. de duob. reis cum l. 47. de fideiuſ. Retes vbi nup. num. 90.*

---

PROPVGNABIT D. EMMANVEL SOBRINO. PRÆERIT DOCT. ANTONIVS ORTIZ, ET ETVLAYN. LOCVS CÆSAR-AVGVSTANVM ACADEMIÆ CLAVSTRVM. DIE XVIII. MENSIS FEBRVARII, ANNO M.DC.XC.

Hora ſecunda poſt meredicm.

# OCTIDVANA ELABORATIO,

## DESCRIPTIONEM, ET EXEMPLA MINIMÆ CAPITIS DIMINVTIONIS CONTINENS,

Iuſtiniani ductu in §. *minima Inſtit. de Cap. diminut.*

## PRIMA ASSERTIO:

### *MINIMÆ CAPITIS DIMINVTIONIS deſcriptio.*

MINIMA capitis diminutio, quæ *minor* ab Vlpiano ſumij ingenij viro dicitur, (A) & aptius *par-*

(A) *In l. 1. §. ſi filius de ſuis, & legit.* iuncto Olemano *ad diſput. 6.* Iiſani *Lib. 1. diſp. 5. th. 16. num. 27.*

(B) Cum Bachovio *ad Tit. D. de cap. minut.*

va appellaretur; (B) ſi non præſtaret terminos vſitatos iuris noſtri retinere, ea eſt per quam, & libertate, & Civitate ſalva ius familiæ adimitur ſive potius ſtatus hominis, vt Iuſtinianus inquit, comutatur; (C) quod nõ de publico ſtatu quem quis habet qua Civis, (D) ſed de privato agnationis, & familiæ ſtatu proculdubio accipiẽdum eſt.

(C) *In §. noſtro, & in fragm.* Vlp. *Tit. 11. de Tut. §. minima 12. de Cap. minut.* cum Vulteio *in noſtro* §.

(D) De huiuſmodi ſtatu accipiendus Vlp. *in l. 1. §. 8. ad S.C.* Tertull. docetque Binius *in noſtro §. n. 1.* expreſsi ad rẽ Text. *in l. 5. §. 2. & l. 6. de cap. minut.*

## II. ASSERTIO.

*Exemplum primum in Adrogatione.*

ACcidit hæc minima capitis diminutio, ei qui cum ſui iuris eſſet, cœperit alieno iuri ſubiectus eſſe; (A)



(A) veluti ſi adrogandũ ſe præbuerit, quia caput ſuum in familiam, & domum alienam transfert, vt Papinianus ait: (B) Neque inficiabimur eandem capitis diminutionem accidere liberis, quos adrrogatus habuiſſet in poteſtate, quia ſi pater tanquam principalis in alienam tranſit poteſtatem, liberi quoque eius vt acceſiones trãſeunt. (C)

(A) Verba ſunt Iuſtiniani *in noſtro §. cui adſtipulantur, l. 3. de cap. minut. & l. 4. §. 10. de grad. & afinib.*

(B) In *l. qui ex liberis* 11. §. 2. *de B.P. ſec. Tab.* iuncto eximio notatore Dioniſ. Gothophred. *lit. E.*

(C) *Ex l. 3. de cap. minut. §. illud propium inſt. de adop. l. ſi pater familias* 15. *& l. Adrogato* 40. *de adop. l. cum principalis* 178. *de R.I.c. acceſſorium* 42. *eodem in ſexto*, notatque Binius *in n. §. n. 1.*

## III. ASSERTIO.

*Exemplum ſecundum, in adoptione ſpecifica.*

COnſequẽter aſſerimus, tametſi Iuſtinianus id nõ conſignaverit, (A) minima capitis diminutione affici

(A) Itaque tantum pro exemplo poſsitum accipiẽdum eſt quod Iuſtinianus ait, de eo qui cum ſui iuris eſſet alieno iuri cepit ſubiectus eſſe, quod contingit per adrogationem. Exponit diſerte Bacobius *in n.* §.

ci filium familias avō, vel proavo( iuxta mutationé neque magnæ rei, neque induſtriæ, ( B ) toties in inſtitutionibus repetitã) in adoptioné datum; quãvis enim per adoptionem in ſpecie dictam maneat filius familias, & alieni iuris ſicut antea fuit, vtiqué tamen in aliam familiam transfertur, ac proindé eum capite minui negari non poteſt, ſiquidem ſtatus mutatur. ( C )

(B) Quia ei facilè per adrogationem caberi poteſt, videndi Biglius *in* §. *adopt ibi de exher. liber. n.* 5. Heigius *in* §. *ſed hodie de adop. n.* 4. Vveſenbechius *in* §. *ſed ea omnia de hæred. quæ ab inteſt. defer. in princ.*

(C) Expreſſus Text. *in l.* 4. §. 10. *de grad. & affinib.* quem adducit Binius, *in n.* §. *n.* 2.

## IV. ASSERTIO.

### *Exemplum tertium, in Emancipatione.*

ILlud autem indubitati iuris eſt, minimam capitis diminutionem cõtingere filio familias, qui

 â



â patre emancipatus fuerit; ( A ) obſcurũ verô arbitramur, alijſque cogitandũ ( ſed ſi fas eſſet libenter relinqueremus ) ( B ) in quo conſiſtat huiuſmodi capitis diminutio? Sed dũ in meliorem ſententiam non incidimus, hanc amplectimur; quia familiam emancipatus mutat, dum ſui, & integri iuris efficitur; quam mutatur enim quod minuitur, tam mutatur etiam quod augetur. ( C )

(A) Docet Iuſtinianus *in n.* §. & *l.* Vl. *de cap. minut.*

(B) Et alijs cogitandum relinquit vir aprime eruditus Bacovius *in n.* §.

(C) Verba ſunt Leonis Pontificis *Epiſt.* 93. quæ ad rem obſervat D. Retes *in lib.* 1. *Opuſc. c.* 6. omnino per totum videndus, cui addo Fimæum Fabrum *diſp.* 4. *ad Inſt. Imper. tb.* 6.

## V. ASSERTIO.

### *Quæſtio tertij, Exempli.*

PRoxima, nec cõtemnenda queſtio dictis accedit, an hodie emancipatio, ſublatis iam imagina-

narijs vēditiōnibus, (A) nec non diferentijs veteribus cognatorum, & agnatorum, (B) adhuc ſit capitis diminutio? Digladiantur interpretes, & qui causā petunt ab imaginarijs venditionibus, á ſublata cauſa concludunt ad ſublatum effectū; (C) ſed quidem ob ceſſantes illas venditiones nō protinus deſinere eſſe capitis diminutionem perſpicuū eſt: (D) ob ſublatas verô diferentias cognatorum, & agnatorum vix hodiê emancipatio inter ſpecies capitis diminutionis referri poterit. (E)

(A) *L. vlt. C. de emancip. &* § *præterea inſt. quib. mod. ius patr. poteſt. ſolvit.*

(B) Novel. 18. *cap.* 4. *&* 5.

(C) Huius ſententiæ ſunt Gobeanus *lib.* 1. *var. c.* 26. Donell. *lib.* 6. *Com. c.* 16. Vacuna *decl.* 16. Antonius Faber *in Iuriſp. tit.* 16. *pr.* 1. Cujacius *ad frag. Vlp. tit.* 10. Treutlerus *vol.* 1. *ſelect. diſp.* 11. *tom.* 10. *lit. C*, Nielius *in diſp. fæud.* 6. *th.* 2. *cum alijs.*

(D) Ex ſententia Cujacij, Antonij Fabri, Lyclame, & Treuleri, quos ad rem laudat, & ſequitur Retes *d. c.* 6. *nu.* 4. addo poſt Acurſium *in* § *præterea inſt. quib. mod. iuſt. patr. poteſt. ſolv.* & poſt Hotomanum *in n.* §. Duarenum *in tit. D. de cap. minut. Hunium, ad* Treulerum *vol.* 1. *diſp.* 11. *th.* 16. *quæſt.* 97. & Tuldenum *in n. tit. cap.* 2.

(E) Ita Binius *in n.* § *in fine*, Guilmanus *etiam in n.* §. Bachobius *in dict. diſp.* 11. ad Treuler. *lit. C*, poſt Acurſium *in l.* 7. *in pr. de cap. minut.* quē *immerito reprehendit* Antonius Faber, *vt perſpicue probat implacabilis eius Antegoniſta* Bacobius, *in tit. D. de cap. minut. n.* 13.

VI.



## VI. ASSERTIO.

### *Exemplum vltimum, in conventione in manu.*

COlophonem ſubiūgimus ex Vlpiano, qui affirmat minimā capitis diminutionem pati fœminam, quæ in manum per coemptionem convenerat; (A) & rectê cum enim in manum viri conventa non ſolum in matrimoniū, ſed in familiam quoque mariti veniret, eique ſui hæredis loco eſſet, & tāquam ſuus hæres inter liberos, & ſuos ſucceſſores ad hæreditatem mariti admitteretur, eademque ſacra, ac maritus coleret, priſtinā familiam mutabat, & non diverſam cū marito conſtituebat. (B)

(A) Huc aluſit Simac. *lib.* 11. *Ep.* cuius eccine verba: *Sororem Pompeiam olim vltro naturam te auſpice in manus optat accipere, & in frag.* Vlp. *tit.* 11. §. 13.

(B) Illuſtrāt, & cōprobant effectus huius matrimonij relatis innumeris Authoribus Retes, *lib.* 1. *opuſ. c.* 4. *n.* 10. *& c.* 6. *n.* 5. Chavarrij *in part.* 2. Dicaſt. *c.* 8. *n.* 5. cōſulat etiam cui ſua fauſta ſors obtulerit Commentarium lucæ, & publicatione dignisſimum D. Laurentij Sanctos ad Ariſtonem, *lib.* 2. *c.* 1. *ad l. ſi ſocer.* 44. *in pr. D. ſol. matr. n.* 12. necnon eximium noſtrum Iuris Civilis primarium profeſſorem, *in dodec. Obſerv. c.* 6.

Qui plura cupiat conſulat Tac. *lib* 4. *Ann.* cuius hæc inſinuare ſatis ſit: *Accidere ipſius ceremoniæ ſolemnitates, vt exiret á iure patrio, qui id Flamineū adipiſceretur quæque in manum Flaminis conveniret.*

De

De effectibus huius capitis diminutionis ſermo non eſt: nam vt Cicero ait *in Orat. pro Publ. Quint. Vix quidem temporis ſatis habui vt rem tantam totque controverſijs implicitam poſſem cognoſcere.*

*Itaque veſter ſermo* vt ait Simach. *lib. 1. epiſt. 1. ex beneficio proficiſcitur, noſter ex debito.*

PROPVGNABIT D. PETRVS TORRES ET GOMEZ, PRÆERIT IOSEPHVS XIMENEZ YBAñEZ, I.C.B. Locus Certaminis Cæſarauguſtanæ Vniverſitatis Clauſtrum. Die 2. menſis Decembris, hora 2. poſt meridiem. Anno Domini M. DC. LXXXVI.

CÆSARAVGVSTÆ:

Apud Hæredes DIDACI DORMER, Typ. Civit.

# ASSERTIONES IVRIDICÆ,

*Deſumptæ ex Iuſtiniani Placito in §. neque tamen 1. Inſtitut. de aut. Tutor.*

I.

CVM Pupilli, Pupilleve, ſuo facto obligationis vinculo adſtringi nequeant, (A) & fieri non poſsit vt queſita hæreditate nõ obligen.

(A)

*§. nunc admonendi 2. §. at ex contrario Inſt. quibus alienare licet, §. pupillus 9. Inſt. de inutilibus ſtipulationib9, l. 29. ff. de pactis, l. 3. ff. comodati, l. Iulianus 14. §. ſi quis à pupillo. ff de actionib. empti, l. obligari 9. & pene toto titulo de aut. tut. l. 6. § in pupillo, de confeſſis l. ius iurandum 17. §. 1. ff. de iure iurand l. obligari 42. ff. de obligationibus & actionibus, l. acta 45. §. bonis, ff. de re iudicata, l. 40. ff. de arbitris, l. 5. ff. de operis novi nuntiatione, l. ſed ſi ex ſtipulatu 24. ff. de verb. obligat. l. pupillo 38 ff. de pignoratitia actione, l. 56. § fin. ff. de evictionibus, l. 1. §. de pupillo. ff. de conſtituta pecunia.*

*Illuſtrant Duarenus, & Cujatius ad l. ſi pupillus 127. de verb. obligat. idem lib. 14 obſervat. cap. 11. Theofilus, & Otomanus in Comentarijs ad hunc titulum Vlpianus in fragmentis. tit. 11. §. 24. Faber in Iuriſprudentia Papinianea, tit. 21. princ. 1. nec pupillum naturaliter obligari ſine tutoris authoritate, probat tex in l pupillus 58 ff. de oblig. & actionib. & obſervat Caldas in l. ſi Curatorem, C. de in integrum*

gentur (B) creditoribus hæreditarijs; (C) conſequens eſt Tutoris auctoritate deficiente, hęreditatem adire non poſſe, (D) quamvis illis lucroſa ſit. (E)

*reſtit. ſed graviter obſtat, l. ſi pupillus 127. de verb. obligat. l. 1. in fine, ff. de novationibus, l. Marcellus 26. ff. de fideiuſſor. l. 44. l. 95. §. aditio. ff. de ſolutionibus. Pro quorum concordia videndi ſunt Hugo Donellus ad cap. 47. & 127. de verb. obligat. & Antonius Faver vbi ſupra illat. 2. Cujat. & Duaren. vbi ſupra.*

(B)

*Dicta l. obligari, 9. §. hæreditatem, ff. hoc tit.* ibi: Hæreditatem adire Pupillus ſine Tutoris auctoritate non poteſt. *L. 11. ff eiuſdẽ tit. l. 8. ff. de adquirenda hæredit. l. ad Pupillum 3. §. fin. cum l. ſequenti quibus ex cauſis in poſſeſsionem eatur, l 5. §. hæres, ff. de oblig. & action. l. 19. ff. de regul. iuris. Belonus 3. ſuputationum, lib. 3. cap. 2. num. 5. Petrus Faber in l. qui cum alio 19. ff. de regul. iuris Balduin, in dict. §. 1. hoc noſt. tit.*

(C)

*Probat text. in l. 3. ff quibus ex cauſis in poſſeſſionem eatur,* ibi: Etenim videtur impubes cõtrahere cum adit hæreditatem. *Quod Iulius Paulus in l. ſed & is 4. eodem tit. ad pupillum ſuum hæredem extendit. & cõmuniter docent Inſtitutionũ Gloſographi in §. hæres 4. Inſt. de obligat. quæ ex quaſi contractu naſcuntur, & docet ſigilatim Petrus Fab. vbi ſupra.*

(D)

*L. 4. ff. ad Senatus Conſultum Treb l. pupillus 9. l. pupillum 49. ff. de adquirenda hæredit. l. 1. C. ad Senat Conſ Tertyl. l. 1. §. adipiſcimur. ff de adquir. hæred. l. 4. §. pupillus, & l. quambis, ff. de vſucap. l. ſi hæreditatem 22. l. 2. l. vlt. C. de hær. act. nec minor ſine Curatore adire hæreditatem poteſt. l. 3. C. de in integrum reſtit. Robertus lib. 1. Animadverſionum, cap. 12. per l. 26. C. de Adminiſtrat. tut. Sequitur Gedeus. Contrarium tamen, ſentit Cujacius in l. 101. de verb. obligat. & probare videtur tex in l 17 ff de appel. idem Cujac. 4. ad Africanũ, in l. 49 de adquir hæred. vide Donel. lib. 12. Comentariorum, cap. 22. & ibidem Oſualdus.*

*Alia eſt ratio ſuorum hæredum, qui nec adire, nec fieri hæredes propriè dicuntur, ſed vt I. C. ſcribunt ipſo jure hæredes deprehendi, aut exiſtere, l. penult. §. longè. ff. de bonis libertorum, l. 1. § qui ſunt in poteſtate, ff ſi quis omiſſa cauſa teſtam. quia cum antea vivo Patri Dñi, quodammodò bonorum eſſent, & hæredes, nunc poſt illius mortem revelantur apparent, & exiſtunt; l. in ſuis 11. ff. de ſuis, & legitimis. Tiraquel. in præfactione, legis ſi unquam 18. C. de revocand donat. cuius dominij cum patre participationem, expreſsit Auſonius dum cecinit.*

Iuxta quidem ſeries patri ſuccedere verum
Eſſe ſimul Dominos gratior ordo pijs.

*Lactantius de Phœnice ita ſcripſit.*

Ipſa ſibi proles ſuus eſt pater, & ſuus hæres.

*Aludens ad ſui hæredis dominationem, & Obidius lib. 2. de Ponto.*

Vivit enim in nobis facundi lingua parentis,
Et res hæredem reperit illa ſuum.

(E)

*Et dicta l. obligari 9. §. hæreditatem, ff. de auctorit. tutor. quod fortaſe mirum alicui videretur nam ratio deducta, ex dicta l. 9. nimirum pupillos non adire ſua ſponte hæreditates ob periculum obligationis vitandum vbi hæreditas opulenta eſt nullumque æs alienum habet, non valet, deinde propter, l. quod in favorem, C. de legibus, qua propter videndus eſt præter relatos ab Oſualdo lib. 3. coment. Donell. cap. 18. lit. B. Otomanus in noſtro §. nuntiatione 2.*

## II.

OB eamdem ratione fit, vt neque hæreditatem ex fideicommiſſo ſuſcipire Pupillus ſine Tutoris auctoritate poſsit, (A) nam hæreditati onera ſunt adiuncta legatorum, & ęris ali-

(A)

*Dict. l. obligari, §. 4. ff de auct. tut.* ibi: Nec ex Senatus Cõſulto Trebeliano hæreditatẽ recipere pupillus ſine Tutoris auctoritate poteſt, *l. 1. l. 4. l. reſtituta 37. cum l. ſequenti, ff. ad Trebel. l. ſancimus penult. C. ad Senat. Conſul. Treb. Ant. Fab. vbi ſupra, illat. 9. Oinotomus hoc noſt. §. num. 2. Angel in l. minor § rationibus, ff de adquir. hær. Vinius in n. § n 3.*

(B) alieni, quibus Pupillum obligari poſſe, niſi Tutore auctore negamus. (C)

(B)

*Expreſſè l. qui in aliena 6. ff. de adquir. vel omiten. hæredit. Vlpianus in frag. tit. 25 Paulus lib. 4. ſent. tit. 2. l. poſtulante, §. 1. ad Senat. Conſul. Treb, l. facta, l. 38 ff eodem l. ſi filius 5. §. 1. ff. quod cum eo, l. ſi quid, §. 1. ff. quibus modis pignus, vel hipoteca, §. hæres, Inſt. de oblig. quæ ex quaſi contractu, l. more 8. ff. de adquir. hæred. Donell. lib. 3. Comment. cap. 13. Anton. Gomez lib. 1. variar. cap. 5. num. 30. Menoch. de adipiſcend. remed. 4. ex nu 166. Cujac. lib. 12. obſerv. cap. 12. Vir à prime eruditus D. Ioſephus Fernandez Retes ad lib. ſingularem quæſt. ſcæbole, in l. ſi pupillus 79. ad Senat. Conſult. Trebel.*

*Ex quibus deducitur inter hæredem, & fideicōmiſſarium ſimilitudo, & ſi diferant, iuxta tex. in l. ſi quis mihi bona, §. iuſſum, l. filius fam. 91. ff de adquir. hæred. l. ſi legatus 30. §. ſi filio, l. ſervo 65. ff ad S. C. Trebel. l. cum hæredes, ff. de adquir. hæredit. l. ſi quis, §. differentia, ff. de adquir. hæredit. Duarenus lib. 1. Diſputationum, cap. 17 l. unica, §. in noviſſimo, C. de caduc. tollend. l. quoniam ſororem, C. de iure deliberandi, l. cogi 16. §. Idem Mecianus ubi gloſſ verb. Subceſſerint, l. Seius Saturninus, l. poſtulante, ff. ad Trebel. l. cum 2. C. de fideicōmiſſ. Covarrub. in cap. Rainutius, §. 1. num. 3. extra de teſtam. Gomez lib. 1. variar. cap. 5. num. 9.*

(C)

*Ducti à I. C. in l. more, ff. de adquir. hæred. §. hæres, Inſt. de obligat. quæ quaſi ex contractu naſcuntur, l. 18. C de iur. liberand. Duaren. hoc noſtro tit cap. 5. D. Ioſephus Santolaria, interpret. 21, num 2 quæ regula reſtringi, & limitari ſolet, vt pupillus ſine Tutoris auct hæreditatem adquirat ſi Iudex abſentiam Tutoris ſupleat, l. ſi infantis, ff. de iure deliberādi. Deindè ſi pupillus inſtitutus ſit ſub cōditione poteſt enim pupillus & ſine Tutoris auctoritate conditionibus parere, l. conditionib. ff. de condit & demonſtrat. ſi ſtatutum ei permitat Angelus in l. minor. §. rationibus, ff. de adquirenda hæred. quem ſequitur Oinotumus in noſt. §. in aditionibus lit. A.*

III.

SEd quia bonorum poſſeſsio, vi, & effectu hæreditas eſt, (A) cómoda, & incōmoda continens, (B) ſi ad Pupillum, Pupillamvê deferatur, expediendarum rerum gratia, & in agnoſcenda, & in repudiāda (C) bonorum poſſeſsione auctori-

(A)

*L. ſi ad pupillum 11. ff. de auct. tut. l. 2. ff. de bonorum poſſeſſionibus, l. 3 ff. eodem, l. Curatorem 19. ff. hoc tit. l. cum in vna 17. §. tutor ff de appellationib l. 2. ff. de bon. poſſeſſionib. adeo, vt plerumq; confundantur bonorum poſſeſſio, & hæreditas l 3. in prin. & in §. hæreditatis autem, ff. de bonorū poſſeſſionibus, l fin. C. qui admitit. ad bon poſſeſ. obſervat Duaren. lib 37. pandect. cap. 2 & facit tex in l. filius nona ff de colatione bonorum, l. 2. ff. de poſſoria hæredit. petitione, l. is qui in poteſt. 15. § ſi extraneo, ff. de legatis præſtandis, l. ſi quis mihi bona 25. §. ſed quid ſi mandadavit, ff. de adquirend hæredit.*

[B]

*Expreſſus tex. in l. 1. ff. de bon poſſ. ibi.* Bonorum poßeſſio admiſſa commoda, & incommoda hæreditaria, itemque dominium rerum, quæ in his bonis ſunt tribuit. *de comodis, & in comodis hæreditarijs diſſerit Donell. lib. 7. Coment. cap. 10. & 11 vbi pleniſsme eius enucleator. Oſſualdus, nec deſeut plures inter bonorum poſſeſsionem, & hæreditatem differentiæ, l. licet 8. C. de iur. deliberandi, §. cum igitur Inſt. de bon poſſeſ. l. 1. ff de hæred. petit l. 1. & 2. ff de poſſ hæred petitione, § ſui de hæredem qualitatæ, & difrentia, §. ſui Inſtit. de hæredit. quæ abinteſt. deff l. pro hæredi ff de bonorum. poßeſſionibus, § fin Inſtit. eodem l. 3. § adquiritur de bonor. poſſeſ. l. Paulus 89. ff. de adquiren. hæred. l. cum hæredis 23 ff. de adquiren. poßeſ §. 1. Inſt. de bon. poſſeſ. l. ſi quis mihi bona, § iußum, ff. de adquir. hæred. l. qui in aliena 6. ff. de adquir hæred. Bellonus lib. 3 ſuputationum, cap. 1. Alciat lib 4. Paradox. cap 3. Pinel. in l. 1. part 1. num. 30. C. de bonis maternis.*

[C)

*L. ſi ad pupillum 11. ff. de auct. tut. l. 1. §. vlt. l. 3 l. 14. ff eodem l. Cu-*

ritaté Tutoris ſectari (D) debere certi juris eſt.

*l. Curator. 19. eod. tit. l. cum in vnı 17 §. tutor. de appellat. acriter obſtant. tex in l. penv'lt. de auct. tut. & l. neceſſarijs 57. ff. de adquir. hęred. explicat Faber vbi ſupra, illat. 12. eſt enim agnitionis, & repudiationis par cauſa Cujat. 1. ad Africanum ad l. 46. ff. de adquir. hæred. Eædem ſunt conditiones in amiſsione, quæ in adquiſitione Oſſualdus pluribus relatis, lib. 7. Coment. Donell. cap 4 lit. A. Duaren ad tit. de adquir. hęred. cap. 8.*

(D)

*Facit tex in d. l. 11. ff. de auctorit. tut. l 17 §. tutor. ff. de appel. arg tex. in l penult. C de iur. deliber. §. pupillus de inutilibus ſtipulationibus Nec obſtant tex in l 1. C qui admiti, l. qui in aliena 6 in princ. ff. de adqu. hæred. l ſervo ad S C. Trebel. l. 3 § adquiritur, ff. de bon. poſſ. l. vlt ff. quis ordo in bon. poſſ ſervetur, l 8 ff. vnde lib Cujat. 1. obſerv. 34. Baſquius lib 2 de ſuc. reſolut §. 18 num. 33. Hotomanus illuſtrium queſt. 34. & 2. Amicabilium 34.*

## IV.

QVamvis in aditionē hæreditatis neceſſaria ſit Pupillo Tutoris auctoritas, per Tutorem tamen hæreditatem adire Pupillus prohibetur. (A) Se autem pro hærede ge-

(A)

*Tex. expreſſus in l potuit 5. C. de iur. deliber.* ibi: Potuit pupillus pro hærede, tutore anctore gerendo conſeqni ſucceſſionem, ſed ipſius actus, & voluntas fuit neceſſaria, nam ſi quid neſciente, eo tutor egit, illi hæreditatem non potuit adquirere. *L. ſi infanti, C. eod l. ſi ad pupill. 11 quia alteri per alterum, qui non ſit in eius poteſtate ex Iuris Civilis, regulis minime poteſt adquiri, l fideiuſſor. 23 ff. de pactis, l. ſolutam 11. § per liberam, ff. de pignoratitia actione, l. proprium 5 ff cōmun. prædiorum l. fundus 64. ff de contrahen. emptio. l. poßeßio 49 in fin ff de adquir poſſeſ l quæcunque 11 de obligat & action l ſtipulatio iſta 38 § alteri, l. ſi mihi & Titio 110 ff de verb. obligat l quod tutela 73 § vlt ff de regul iur. l Dominus 39 l eum*

qui

gerendo etiam eo Tutore auctore, qui tutellā non gerit obligatur. (B)

*qui 56. §. quis l. quod dicitur 130. ff. de verb. oblig. Cujat. tract. 4. ad Africanum in dict. l. 49. ff. de adquir. hær.*

(B)

*L. pupillum, ff. de adquir hæred. l. 11. C. de iure deliberandi, ſed acriter obſtant tex. in l. 4. ff. de auct. tut. pro quorum conciliatione, videndi Duaren. de adquir. hæred. cap. 4. Patius centur. 5. quæſt. 79. Cujat. dict tract. 4. ad Africanum, in dict. l. 49. quem ſequitur Gotofredus in dict. l. 4 lit. F.*

## V.

TVnc demū Pupillus Tutoris auctoritate hęreditatem adit ſi fari poſſit, (A) licêt eius ætatis ſit, vt cauſam adquirendæ hæreditatis (B) non inteligat.

Si

(A)

*Expreſſe l pupillus 9 ff. de adquir. hære l. l. potuit, & l. 18. C. de iure deliberan. l. 26. de iur. iuran. l. l vltim ff. de iur. & fact. ignorantia. Vlp. in fragment. tit. 22. §. 8. ex pupillis enim, alij ſūt infantes, alij maiores infantia aut qui fari poſſunt, qua diſtinctio reperitur expreſſa apud ipſos iuris auctores in l. 1. l. ſervus 7. §. impubes 1. ff. de bon. poſſeſ. l. 1. §. ſufficit 2. ff de adminiſt. & peric. tut.* ibi: Infantes ſunt qui 7. annum non ingrediuntur. *L. in ſponſalibus 14. ff. de ſponſalibus, l. ſi Infanti 18. C. de iure delib. Cujatius in §. pupillus 9. cum ſequentibus Inſt. de inutilib. ſtip. & de præſcriptionib. cap. 25. Ant. Auguſt. lib. 3. emendat. cap. 9. Duaren. in l. 1. in prin. ff. de verb. obligat. Bulteius Iuriſp. lib. 1. tit. 4. num. 14 Eguinar. Baro Miſinger. & alij in dict. §. pupillus; ex quibus omnibus infans propriè dicitur proximus infantiæ, qui egreſſus eſt infantiam, l. ſi quis 3. §. 2. ff. ad S. C. Maced. l. qui iuraſſe 26. ff. de iur. iuran. l. fin. ff. de iuris, & facti ignorantia, l pupillus 189. ff. de reg. iur. Menoch. 2. de arbit. cap. 57. num. 1. à 7. vſque ad 14 annum hominem conſpicuum reddi ſcripſit, & Barro qui ætatem diviſit, in infantiam, pueritiam, adoleſcentiam iuventam, ſenectam. Infans inquit vitam à lacrimis auſpicatur; Qui vbi ſeptimum annum expleberit multoſque labores paſſus fuerit cuſtodes, & gipnaſtæ ei præficiuntur, ac Medicos hominis vitam ex ſeptenario iudicare teſtatur Andr. Laurent. lib. 8. hiſt. anatom. quæſt. 31. Macrob. lib. 1. in ſom. ſcip cap. 6.*

(B)

*Dict. l pupillus 9. & pro hærede gerere factum, & animum requirat, l. pro hærede 20. l. duo fratres 78. l. 88. ff. de adquir. hæred. & huiuſmodi ætas illa*

etiam

Si tamen Pupillus fari nõ poſsit, vel abeſſe noſcitur ſoli Tutori hæreditatis adeundæ ius erit. (C)

*etiam, quæ videt ignoret. l. 1. C. de falſ. monet. l. in eo 110. §. pupillus ff. de reg. iuris, ita vt rei intellectũ capere nõ poſſit in his, quæ agit, l. excipiuntur 14. ff. ad Silan. quorum quippè agendorum cauſam non intelligit, l. 8. §. impubes, & l. ſequenti, ff. de adquir. hær. Faber Iuriſp tit. 21 prin. 1 in quibus furioſo comparari ſolet, l. imfans 12. ff. ad l. Corn. de ſicar. l. quamvis 32. §. infans 2. ff. eod. tit. tamen hoc eis favorabiliter preſtatur And. Gallius lib. 2. obſerv. obſerv. 128 num. 9. & obſerv. 122. num. 5. D. Mart. de Larreategui lib. 2. ſelect. iur. civil. diſp. cap. 7. num. 4 in fin. l. ſervo invito 65. §. ſi pupillo 3 ff. ad S. Conſult. Tribel.*

(C)

*L. ſancimus 7. C. ad S. C. Tertyl.* ibi: Licentiam eſſe etiam ſoli tutori recte fieri fideicommiſsi reſtitutionem quod pupillo relictum eſt, & ſine onere fideiuſsionis de rato, vbi pupillus fari nõ poſst, vel abeſſe noſcitur, *l. nulla 25. ff. de legib. l. quod favore 6. C. eodem, l. 1. §. 2. de admin. peric. tut.* ibi: Vt pro jis qui fari non poſſunt, vel abſint ipſi tutores iudicium ſuſcipiant, *l. 14. ff. de ſponſalibus Cujat. de praſcriptionib. cap. 25. Bulteius 1. Iuriſpr. c. 4. n° 24. Menoch. 2. de arbitr. cap. 57. num. 9. & 17. Donell. lib. 7. Coment. cap. 9. & ibi Oſſualdus lit. D.*

Aderit propugnator IOACHIMVS MVRO, ET ROMEO. Præſes GREGORIVS FELIX PALACIO, I. C. B. Extraordinarius Sacrorum Canonum Interpres. Die XXIV. Novembris, Anno M.DC.XC.

Hora, & loco ſolitis poſt meridiem.

*Caſar-Auguſta: Apud* EMMANVELEM ROMAN, *Vniverſitatis Typog.*



# ACADEMICÆ ASSERTIONES

## OCTIDVO ELABORATV DISPOSITÆ.

### *Ad §. 1. Inſt. quibus modis tutela finitur. lib. 1.*

I.

CVM tutela Iure Civili introducta ſit, vt is qui iuditio caret alieno arbitrio gubernetur (A) iuri conſentaneũ eſt à tutela liberari eos, qui iam animi iuditium, & intelectum habere poſſunt; (B) Itaque pupilli pupillæque cum puberes eſſe cæperint à tutela liberantur (C) quando quidem puberes poſſunt ſibi conſulere, ſi non propio iu-

ditio

(A)

*Vt conſtat ex §. 1. inſt. de tutelis iunto, §. vlt. de Ati Tutore, l. 1. de minoribus, & omnes inſtitutionum gloſographi in relatis paragrafis.*

(B)

*Tenent communiter interpretes in hoc noſtro §. & Antonius Faber in Papin. tit. 22. prin 2. Donel. lib. 3. comen. cap. 14. vbi Oſualdus Iligerus lit. A.*

(C)

*Hoc noſtro §. l. 1. C. quando tutores, vel curator. eſſe deſinant l. vlt. C. eodem Vlp. in fragmentis, tit. 11. §. fin. Donellus d. lib. 3. comen. cap. 14. Rebard. lib. 4. var. cap. 10. & communiter inſtituari in noſtro §.* In-

ditio quòd admodum infir-mum eſt; ( D ) Saltem vt petant curatorem cuius cõſilio vſque ad vigeſsimum quintum ętatis annum gubernentur. (E)

Inde dicitur pubertate pupilos in ſuam tutelam venire in. prin inſt. de pupilari ſubſt. l. 8. §. 1. de bon poſſeſ. ſecundũ Tab. advertit Vinius in noſtro §.

Neque obſtat fœminas in perpetua tutela fuiſſe, vt docet. Vlp. in frag. tit. 11. in prin. & §. 19 & tit, 20. §. penult. Cicero. in oratione pro Murena, & in orat. pro L Flacco Cat. apud Libi, lib. 34. Boethius lib. 2. com. in top. Cicer. quibus locis opponuntur, lex 26. de Tut. & Curat. l. 13. §. vlt. eodem l 7 C. qui petant tut. l. 15. de Tut & Curat. l. 5. C. qui petant. tut. l. 28. de adminiſtrat. & peri. tutelæ, l. 50. de legat. 3. l. vlt. de iure delbier randi; Quam oppoſitionem facilè componere poteris diſtinguendo iute- Tutores pupilares, & mulieres quorum olim negotia gerebant, hi authori- tatem tantum præſtabãt. Docet Cujac. lib. 11. obſerb. cap. 11. & poſt alios Oſual. vbi ſupra lit. C. Aliud tamen eſt iuditium. Bacobij in noſtro §. num. fin.

Neque obſtant tex. in l. 101. § conditionum, verba de conditionibus, & demonſtrationibus, l. 6. de confirmando Tut. Viden. Cujac. lib. 5. reſponſorum Papin. in dict. l. 6. & lib. 8. in dict. l. 101.

(D)

Vt conſtat ex allegatis iuribus lit. A. iunto Fabro vbi ſupra.

(E)

Prin. Inſt. de Curat. l. 1. de minoribus Tutela remedium ſingulare, & ſubſidiarium eſt vt docet Fab in Papin. tit. de tutel. prin. 1. & ſubſidiaria iuris remedia extendi non ſolent niſi cui, & quatenùs neceſſitas ex poſtulat arg. tex. in leg in cauſæ 16. de minoribus, l 99. de vulgari, & Pup ſubſt. l. Imperatores 31. de rebus authoritate Iudicis poſſidentis.

## II.

IN eſtimanda autem pũbertate â diverſarum ſcholarum I. C. diverſus

mo-

modus inventus fuerat (A) quia Sabiniani ſev. Caſsiani puberem virum eum eſſe dicebant qui corporis habitu pubes apparebat ( B ) fœminam autẽ quæ 12. annum ad implerat; (C) Proculeiani contra tam in maſculis quam in fœminis ex ætate pubertatem æſtimaverant in viris 14. in fœminis 12. ætatis anno ( D ) quorum vtrumque ęſtimãdæ pubertatis modum in vſu ante Iuſtinianij conſtitutionem fuiſſe defenſavimus. ( E )

(A)

Vt refert Vlp. in frag. tit. 11. §. fin. & notant communiter inſtitutarij ad noſtrum §. Donel. vbi ſupra, ibidẽ Oſual. lit. A. Rebard. lib 4. var. cap. 10. Emmanuel Coſta in cap. 6. Pater de teſta. in 6. verb. Impuberes. Pinel. lib. 2 ſelect. cap. 4.

(B)

Vlpian. in relato ſupra §.

(C)

Quia in fœminis impudica erat huiusmodi inſpectio habitus corporis, vt innuſt. noſter §. & præ allis Oſuald Iliger. vbi ſupra lit. B.

(D)

Ex dicto Vlpiani loco. quorum veſtigia extant in l. 5 ff. qui teſta fac. poſſ. l. 2. de vlg. & pupilis ſubſ.

(E)

Et rectè defendimus cum Benedicto Pinel. vbi ſupra. Petro Fab. lib. 3. ſemenſ. cap. 6 Emmanuele Coſta vbi ſupra num. 6. argum. tex. in l. 4. C. qui teſtam. fac. poſſ. ibi: Nam ſi hanc ætatem ægreſſus licèt vigoris non dum emerſiſſet veſtigia, l. qua ætate de teſtam. ibi: Verius eſt 14. anno teſtamento poſſe condere maſculos: Ergo ſi verius eſt non dum erat. leg. definitum, l. mela, §. 1. de alimentis, & cibaris leg. ibi: Quia non eſt in Civile hoc tempus ætatis expectari, & ſi generaliter pubertas non ſic definiatur: l. 4. de in lit. iurando vbi pupilus, ſi pubes ſit; Poteſt iurare in litem, l. 21. dies quando dies legt. cedat, ibi: At ſi in certa ſit dies quaſi cum pubes erit; quam l. in concordiam reddiges cum l. 54. de cõdit. & demonſt. ex traditis â Pinel. vbi ſupra nu. 22. facit pubertatem quid natãle eſſe ſignificare, que lanvginem primo naſcentem circa illa

qæu

*quæ nominare pudet, itaq;* pubeſcere, *dixit Plinius, lib. 4. hiſtoriæ natális*
*pro* floreſcere: *Concinit Cæſar de bello Galico, lib. 6. cap 5. ibi*: Qui.
diutiſſime impuberes permanſerint maximã inter ſuos ferunt laudẽ
*Et Iul. Paul. lib. 3. ſent. titulo de teſtam. ait*: Spadones eo tempore
teſtamentum facere poße, quo pleriqui pubescunt id eſt 18. anno.

*Licèt contrariam ſententiam teneant, Rebard. vbi ſupra; quem acu*
*tum magis quam in iuriſprudentia ſolida verſatum cenſuit Petrus Fab.*
*dicto lib. 3. cap. 6. Vini. in noſt. §. Bacovius ibidem moti authoritate*
*Tertuliani qui lib. de virginibus velandis ita ſcribit*: Fœminas quidem
à 12. annis, maſaculos vero à duobus ampliùs ad negotia mitunt, *&*
*Macrobi, lib. 7. ſaturnalium cap. 7. ibi*: Secundum iura publica 12.
annus in fœmina, & 14. in puero definivit pubertatis ætatem. *Sed*
*hoc inteligendum eſt, quia frequenter viri, & fœminæ hac ætate pubeſ-*
*cere incipiunt nam vt ipſe. Macrobius ait in ſomno ſcipionis, lib. 5. cap. 6.*
poſt annos vis ſeptem ipſa ætas neceſſitate pubeſcit.

## III.

IVſtinianus autem in hõneſtam huiuſmodi nudorum corporum inſpectionem ab horrẽs (A) abolita Sabiniarum ſententia, proculeianorum æſtimandæ, pubertatis modum admiſit; dum indecora obſervatione, in examinanda marium pubertate reſecata iuſit vt quemadmodum fœminæ poſt impletos duodecim annos pubeſcere iudicantur (B) ita & mares poſt exceſſum quatuordecim annorum puberes exſiſtimentur indagatione corporum in honeſta ceſante. (C)

(A)

*Quæ in æſtimanda puberta te obſervavatur ex ſententia Sabinianorum vt inuit, §. noſter, & l. vlt. C. quando Tut. & Curat. eße deſinant, vt tenent Duarenus ad tit. qui teſtamenta facere poſſunt. Menochio de arbit. caſu 58. num. 3. Sanchez de matri. lib. 7. diſp. 104 nu. 32. Petrus Faber vbi ſupra. Oſual. vbi ſupra lit. E. & aliquos, refert Gonçalez Tellez in cap. 3. de deſponſatione in puberum nu. 3. Concinit Quintil. declamat. 179. Plat lib. 11. de legibus, ibi*: Convenientiã ætatis ad nuptias, & contra Iudex omnino mares pubem vſque inſpiciens Iudicet.

*Licèt aliud ſit iudicium Rebardi vbi ſupra, Antoni Fabri vbi nuper, & Arnoldi Vinij qui ſolito more: Bacovi excripſit in noſtro §. contendentium vſitatam nõ fuiße apud Romanos nudorum corporuam inſpectionem, quia in honeſta admodum eſſet; itaque Triboniani errorem reperiri dicunt tam in noſtro §. quam in dicta l. vlt. C. quando Tut. & Curat. ſed falſo nam licèt corpora nuda inſpicerentur hoc in honeſtè non fiebat ſed cum decore, & vericundia; vt ad cognoſcendum impotentiam vel frigiditatem, vel virginitatem mulieris circa cauſas matri fieri ſolet. leg. 1. de ventre inſpiciendo, cap propoſuiſti, cap. cauſuam matri. de Probationibus cap. firigiditatis de frigidis, & maleficiatis, cap. Puberes de deſponſatione impuberum, docet poſt. alios D. Franciſ. de Amaya obſerv. iuris, lib. 3. cap. 5. num. 43.*

(B)

*Circa quæſtionem curſicius fœminæ pubeſcant quam viri, videndi ex noſtris Bacovius in noſtro §. & Gonçalez Tellez in cap. 3. de deſponſatione in puberum, num. 3.*

(C)

*Ex noſtro §. iunta l. vlt. quando Tut. & Curat. eſſe deſinant; iure tamen Canonico Sabinianorum ſententia admititur cap. 3. de deſponſatione in puberum, & pubertatis ethimologiæ congruentior, licet Cujac. falſitatis ipſam arguat; cuius ſententiam reicit Gonçalez in d. cap. 3. in fin. Verum Sacri Canones licèt ex inſpectione corporis Pubertatem æſtiment non tamen inhoneſta; vt docuit Greg. ſept. in cap. de deſponſatione in puberum in 1. colect. vt obſervavit Otoma. in dialg. de Barba in matrimonijs autem contrahendis, licèt Sacri Canones, pubertatem legalem agnoverit, cap. continebatur, cap. atteſtationes de deſpoſatione in puberum; tamen hi quorum malitia ſuplet ætatem ad conſentiendum, & ſimul habent coeundi facultatem matrimonium poſſunt contrahere quia pubertas naturalis adeſt, licèt legalis non advenerit, cap. de illis, cap. vlt. de deſponſatione in puberum, docet Sanchez vbi ſupra num. 20. qui rectè refelit Gloſſam in dict. cap. de illis.*

De-

DEinde finita pubertate tutela & ſi in adminiſtratione tutor perſeveraverit, in iudicium tutelæ veniũt ea ſine quib⁹ tutelæ adminiſtratio commodê nequit expediri, ſivê ea quæ precedẽti adminiſtratione cõnexa ſunt, (A) ea tamen quæ incõnexa reperiuntur in iuditiũ negotiorum geſtorum venire palam eſt; (B) ſi vero non perſeveraverit in adminiſtratione, ſolum ipſi reddere rationes ſuper eſt, (C) & minorem monere vt ſibi curatorem petat, (D) quod ſi facere ſuper ſedeat minor, tutius faciet tutor ſi adito magiſ-

tra-

(A)

*Ex l. 13. de tutelæ, & rationibus diſtrahendis, l. ſequẽti eodem. Duplex autẽ connexitas eſt, altera cauſæ, altera tẽporis, quarum vtraque ſufficit ad continuandam actionem tutelæ, itaque inteligendum eſt quod in diſtinctè ſcribitur in l. 11. C. adbitrium tutelæ; docet Faber. vbi ſupra illat. 1. & tit. 73. prin. 7. illat. 77. & Balduinus in noſt. §. n. fin.*

(B)

*Dicta l. 13. & 14. idtoque ſi poſt tutelam adminiſtrare ceperit, iuditium tutelæ devolvitur in actionem negotiorum geſtorum cum finita fuerit iam adminiſtratio tutelæ, nam his quæ ante finitam tutelam geſta ſunt, conveniendus eſt Tutor actione tutelæ, de his veru quæ poſtea actione negotiorum geſtorum; docet Fab. vbi nup.*

(C)

*L. 1. §. hæc quidem 4. cum ſequenti ff. qui petant Tut. docet Balduinus ad n. tex. num. fin.*

(D)

*L. ita 5. de adminiſtratione, & periculo tutelæ.*

L.

tratu curatorem petat; ne quid ipſi forte in neglecta adminiſtratione poſsit imputari. (E)

(E)

*L. 7. C. qui petant Tut. vel peter debet, vt minor compelatur ſibi petere Curatorem. l. 7. §. 2. de minoribus; docet Vacobius à noſt. tex. num. fin. iunta Fabro vbi ſupra.*

---

Propugnabit eas SALVATOR MARTINEZ; XARQVE de ARGANZA, Iuriſprudentiæ Studioſus. Præerit EMMANVEL de las FOYAS, & MARTINEZ de AZPVRV, Sertorianæ Vniverſitatis, Iuris Civilis Bachalaureus. Dies erit 18. Menſis Ianuarij, Anno 1689.

Ab hora ſecunda poſt merediem.

---

*Cæſar-Auguſtæ, Apud EMMANVELEM ROMAN, Vniverſitatis Typog.*

# OCTIDVANAE ASSERTIONES

*De Immunitate Tutelæ, ſive Curæ ob liberos conſequenda,*

## COLLECTÆ, ET CONCINATÆ

*Ex multiplici, & diligentiſsima liberorum diſtinctione, tradita à Iuſtiniano in Princ. Inſtit. De Excuſat. Tutor. vel Curat.*

*Aſſertio I.*

Liberorum multitudo iuſtam cauſam excuſationis à tutela, vel cura parentibus prębet; (A) quod ex eo inductum eſt, ne externis oneribus amplius gravetur, qui iam ſatis onerati ſunt domeſticis curis; (B) vel potius ut

præ-

(A)

*Conſtat ex Iuſtiniano in n. princ. & ex l. 2. §. 2. ff. excuſat. exque tot. tit. C. quinum liber ſe excuſ & ex Symmacho, lib. 1. cap. 71.*

(B)

*Concinit Seneca lib. 2. de Ira, ibi:* Educatio maximam diligentiam, deſiderat; *& de cura educationis liberorũ plura adducit Scombornerius polit, lib 1. cap 8. Valenzuela conſil. 36. Solorçanus de Iure Indiar., lib. 1. cap. 26. ex nu. 63.*

præmio (C) afficiantur, qui Rempublicá auxerunt ſobolis procreatione. Tres (D) igitur liberi Romæ nati (E) in Italia quatuor, (F) quinque in Provintijs, (G) â publico tutelæ, vel curæ munere, (H) exemplo cęterorum munerum (I) immunitatem præſtãt,

*63. & embl. 25. & polit lib. 2. cap. 27 in fin. & curam huiuſmodi ex naturali iure provenire, ait Iuſtinianus in princ. Inſtit. de Iure Nat. Gent. & Civ. & in leg. unic. § Taceat 5. C. de rei vxor. act. Petrus Fab ſemeſtr lib. 2. cap. 21. Valentia illuſtr. lib. 3. tract. 3. cap. 1. ex nu. 4.*

(C)

*Ex lege Iulia, & Papia ab Auguſto lata, quæ multa propoſuit præmia ijs qui liberos ſuſcepiſent, quorum meminit Lipſius ad Tacit. lib 3 Annal. Suetonius in Octavio cap 34 Duaren lib. 1. diſp. 40. Gutier de tutel. & cur. part. 1. cap. 21. num. 3. Gregor. Acacius Enenckel de Privil. Parent. & liberor. Privil. 20. Marta tom. 4. Digeſt. tit immunitas, cap. 7 fol. 71. & omnium fuſiſſime Vertr. Maurus lib. ſingul. de iur liber. cap. 16. & multis ſequentibus.*

(D)

*Vide veterem Iuvenalis Scholiaſtem ad illud*: Si numerum, ſi tres, ſi tres filios fecero *Vndè qui liberos non babebant* Ius trium liberorum *â Principibus impetrabant; Plinius* 10. 2. *Maurus cap* 45. *Martialis, lib. 2. ep 91. & 92. lib. 3. ep 94. lib 4. ep. 31. lib 9. ep 68. & 99. & hinc petitus locus apud eundem, lib. 10. ep. 60. in Munnam qui pauciſſimos habebat diſcipulos.*

Iura trium petijt à Cæſare diſcipulorum,
Aſſuetus ſemper Munna docere duos.

(E)

Romæ nati *qui? etiam ij qui in continentibus Vrbis nati ſunt, l. 147. de V. S. ſed an octavo, aliove intempeſtivo menſe nati? Adi Gellium lib. 3. cap. 16. & Fabrotum exercit. 1.*

(F)

*Quod à Lacedemonijs tranſlatum videtur ex Ariſtotele 1. polit. 9. vide Nicolaum Cragium de Repub. Lacedemon. lib. 3.*

*Sed*

(G)

*Sed cur tan varie? Forſam quia videbatur intereſſe P. R. ampliari hominum adiectione Vrbem Romam, potius quã Italiã, & Italiã potius quam Provintias; tradit Anton. Fab. in Iuriſp. Pap. tit. 25. tract. 1. illat. 2.*

(H)

*Ita appellatur in noſt. princ. & in leg. 17. § Eos, ff. De Excuſat. leg. Filius Familias 9. ff. de his qui ſui vel alieni iuris, dicitur etiam Munus Civile, quod idem valet leg. ſiduas 6. § Tutela 15. ff. De Excuſat. leg. vlt. ff. de muner. & honor. leg. coloni 8. C. De Excuſat. Neque obſtat. dict. lex. 6. § 15. ff. eod. pro cuius interpretatione plura tradidere Antonius Auguſtinus, & Cujacius ad tit. De Excuſat. Petrus Fab. in leg. 2. de reg. iur. Pacius 5. enunt. 5. Oſualdus ad Donel. lib. 3. cap. 9. lit. A. & alij plures.*

(I)

*De Privilegio Immunitatis munerum ob liberos, lex. 1. C. Quinum lib. lex. unic. C Theod. de his quinum lib. unde deſumpta lex. ult. C. eod. lex 1. & 2. ff. de Vacat. & excuſat. Muner. Retes lib. 1. Opuſc. cap. 2. Iacobus Gothofred. in d. l. unic. C Theod.*

## *Aſſertio II.*

NIHIL autem refert an liberi in Sacris paternis conſtituti ſint, an patria poteſtate ſoluti, vel emancipati, (A) quia hæc liberorum diſtinctio tota eſt Civilis, cauſa vero excuſationis eſt naturalis, (B) & huiuſmodi privilegium potius propter

libe-

(A)

*Hæc diſtintio traditur à Iuſtiniano in eod. pric. & in leg. 2. §. remiſit. & ſeqq. ff. eod. tit. leg. 2. § incolumes 5. ff de vacat. & excuſ. muner. leg. 1. C. Quinum lib. ſe excuſ.*

(B)

*Vt optime notat Giphanius in noſt. princ.*

liberorum procreationem; quam propter patriam poteſtatem conceditur: Filijque emancipati nõ minus ſunt oneri Patri, quã Filij in poteſtate exiſtẽtes. (C)

## *Aſſertio III.*

NEQVE etiam intereſt ſint ne liberi primi gradus, an vlterioris, quia & nepotes avo ad excuſationem proſunt, (A) ſi in locum patris demortui ſuccedunt; (B) Plures vero nepotes pro vno ſaltem computantur, ſi ex vno filio nati ſunt: (C) Nati autem ex filia nepotes potius paterno, quam materno avo proſunt, nam æquitas naturalis poſtulat, vt ei potius proſint à quo generati cenſentur. (D)

Opor-

(C)

*Tenetur enim pater emancipatos alere, ſicut & emancipati parentes alere compelluntur leg. ſi quis à liberis 5. §. 1. ff. de Agnoſ & alend. lib. iuncto Anton. Fabro d. princ. 1. illat. 2.*

(A)

*Ita etiam diſtinguit Iuſtinianus in eod princ. verſ Item nepotes.*

(B)

*Ex leg. 2. § 7. ff. de excuſat. leg. vlt. C. Qui num. lib. ſe excuſ.*

(C)

*Quia omnes patrem ſimul repreſentant, ſive eius locum ſupplent, d. leg. 2. § non ſolum 7 ff de Excuſ quod & in cæteris muneribus obtinet ex leg. 3. C. ae his quinum, lib. ſe excuſ.*

(D)

*Duobus enim prodeſſe non debent; ſicque in conflictu avi, nepos filio potius, id eſt patri ſuo prodeſt, quam avo, cum filius, eum procrearit, leg 2. C. quinum lib ſe excuſ. Giphanius in noſt. princ. verſ. Item nepotes.*

## *Aſſertio IV.*

OPortet tamen ad excuſationem, quod liberi naturales ſint, (A) adoptivi enim parentibus adoptivis non proſunt, ſed naturales patres dumtaxat à tutela, vel cura excuſant; (B) quia licèt naturales filios ex patre familias, eiuſque vxore ſuſceptos, in plurimis adoptivi conſequantur, (C) quo ad hãc excuſationem adoptionis cõmentum (D) nõ prodeſt, adoptio enim non generat Civem, neq; Rempublicam auget. (E)

(A)

*Imo & iuſti, & legitimi, non ſpurij & ex concubina nati, quia intereſt reipublicæ eã impleri Civibus, & liberis legitimè, atque ex iuſtis nuptijs. ſuſceptis leg. 1. ff ſol matrim. leg. 2. circa fin. C. de indict. viduit. tol leg cum ratio 7. §. ſi plures. ff. de bon. damnat. Anton. Faber dict. princ. 1. illat. 2.*

(B)

*Iuſtinianus in eod. princ. Verſ. Sed adoptivi, leg. 2 §. adoptivi 2. ff. de vacat. & excuſat. muner.*

(C)

*Nempe in ſtipulationibus, adeundis hæreditatibus, ſucceſſionibus, alimentis, obſequijs, nuptiarum conſenſu, ac plerisque alijs, ex l. 1. verſ. Marcelus ad S C. Syllan. l. 1. ff. de leg. præſt. § in plurimis 8. Inſtit de adoptionib quod & antiqua adoptionis formula indicat apud Aul. Gellium lib. 5 cap. 19.*

(D)

*Ita appellatur in l. fideicomiſſum 66. ff. de cond. & demonſtr.*

(E)

*Vnde neque honorum dignitatem ficta conciliabat adoptio; Tacitus Anal. 15. ibi:* Factum ex eo Senat. Conſultum, ne ſimulata adoptio in vlla parte muneris publici iuvaret. *Naturales autem adoptatis, tanquam imagini res ipſas præferri debere, ait Euripides in Erectheo apud Stobæum cap. 74.*

In-

## Aſſertio V.

INſuper oportet liberos, qui huiuſmodi Immunitatem præbeant, eſſe ſuperſtites; (A) defuncti enim vacationem, vel excuſationem à tutela, ſivè cura non largiuntur: (B) quod ex duplici capite inductum fuiſſe, non male infertur, vel quia Reipublicæ iam vtiles non ſunt, cũ eorum opera vti nõ poſsit; (C) vel quia parentibus non ſunt onoroſsi, cum liberis mortuis onera, & moleſtiæ educationis ceſſent. (D)

(A)

Superſtites *ait Iuſtinianus in eod. princ. verſ. Filij autẽ,* incolumes, *lex. 1. §. vlt. l. 5. § 5. ff. de vacat. & excuſ. mun.* vivos *lex. 2. § 3. eod. tit. & quidem ſuperſtites eſſe oportet eo tempore quo patres Tutores petuntur, leg. Tutor petitus 28. ff. De Excuſation. iuncto Cujatio ad leg. 2. eod. tit.*

(B)

*Idem Iuſtinianus in eod. princ. verſ.* Defunti, *& hinc filij, qui iam deceſſerunt, tam quam ſi non fuiſſent aliquando habentur cap. Nam & ego 3. de V. S. & ſimiliter non proſunt qui pro mortuis habentur vt deportati, & ſervi facti pœnæ Bacovius in noſt. princ. nu. 4. quamvis diſentiat Maurus cap. 44.*

(C)

*Tales enim oportet eſſe liberos, quorum opera* Reſpublica *vti poſſit, ideoque non proſunt ab hoſtibus capti, neque hi quorum ſtatus eſt incertus. Vide Fabrum in eod. princ. 1. illat. 2.*

[D)

*Bachovius ad Treutler. vol. 2. diput. 9. tom. 2. lit. A vnde filij quĩ adhuc in vtero ſunt parentibus non proſunt Fab. dict. illat. 2. quamvis poſtea lucem videant, leg. 2. §. Oportet, & § numerum, ff. De Excuſ. leg. 2. §. Qui ad munera ff. De Vacat. & Excuſ. muner.*

Ex-

## Aſſertio VI.

EXcipiuntur denique ab hac regula liberi in bello amiſsi, (A) qui parentibus immunitatem pręſtant; Non tamen omnes in bello defuncti parentibus proſunt, veluti ſi mortui ſunt in Caſtris, in obſidione, in hybernis, aut æſtivis, ſed hi ſoli qui in acie ammituntur, (B) *Hi enim qui pro Republica ceciderunt, in perpetum per gloriam vivere intelliguntur.* (C)

(A)

*Iuſtinianus in eod. princ. verſ. Sed ſi in bello, & cap. 7. legis Iuliæ cautum fuiſſe docet Gelius lib. 2. cap. 15. Conſulum eum primum faſces ſummere, non qui plures annos natus eſſet, ſed qui plures liberos, quam collega aut in ſua poteſtate haberet, aut bello amiſſiſſet.*

(B)

*Idem Iuſtinianus in eod. princ. ex leg. Bello 18. ff. De Excuſat. quam illiuſtriorem reddidit Oſſual. ad Donel. lib. 3. cap. 9. lit. F. & poſt illum, Dom. D. Ludovicus ab Exea, & Deſcartin, Primarius nuper Iuris Civilis Profeſſor, Regius nunc Senator meritiſſimus, in Ex temp. recit.*

(C)

*Reddit hanc rationem Iuſtinianus in eod. princ. in cuius illuſtratione vulgo expendi ſolent Tulius, Ariſtoteles, Quintilianus, Plutarchus, Tucidides, Herodotus, Xenophon, Plato, Ammianus, Livius, Diodorus Siculus, & Vegetius, quibus omnibus adiungo Plinium, lib. 2. ep. 7.* Præterea Cottius ipſe tam clarum ſpecimen indolis dederat, vt vita eius brevis, & anguſta, debuerit hac veluti immortalitate proferri. *Obſignet antiquus, ſed aureus Plauti verſus.*

Qui per virtutem perbitat, non interit.

---

Aderit propugnator D. FRANCISCVS ANTON, & SAYAS, Iuris Canonici Studioſus. Præſes eius Germanus Frater D. IOANNES ANTON, & SAYAS, I. V. D. & nuper Extraordinariæ Legum Cathedræ Moderator. Locus certaminis Clauſtrum Cęſar-Auguſtanæ Vniverſitatis. Dies xx. Martij Annus M. DC. XCI. Hora 2. poſt meridiem.

Cæſar-Auguſtæ: Apud EMMANVELEM ROMAN, Vniverſitatis Typog.

# ACADEMICÆ
# ASSERTIONES.

## *Deſumpta ex §. qui autem 16. Inſt. de excuſat. Tutorum, vel Curatorum.*

I.

CVM tutor rectê his quibus oportet datus, eadem neceſsitate tutelam ſubeat, & obtineat, qua curator rectê datus curam. (A) Propterea ſine iuſta excuſatione detrectare eã nõ poteſt; cũ publica munera (B) nõ volũtatis, ſed neceſſitatis ſint. Quod in tutela itidem eſt ac in cura, niſi ſit quid, delatę tutelę obſtet abinitio, quominûs obtineatur,

(A)

*L. 1. & vlt. de mun. & hon. l. 3. § 2. ff. de ſuſpect. tut & curat. fere omnia in hac poteſtate cõmunia, ſive de ordine Iuditij, ſive de exitu & pœna queratur, l. 1. in princ. ff. eodem, l. in poſtulandis, C. eodẽ; idẽ inſcriptio tit. ad vtroſq; pertinens tam in ff. C. & Inſt. declarat. vt ſunt de excuſat. tut. & curat. de ſuſpect. tut. & curat. & Donell. lib. 3. Comment. cap. 20. vbi eius enucleator Oſſuald. Ant. Faber in Iuriſp. Pap. tit. 24. prin. 1. illat. 2.*

(B)

*Paulus in l. ſi pupillus de V. S. munus propriè nuncupatur: quod neceſſario ſubijmus lege, more, imperiovè eius, qui iubendi habet poteſtatem. Marcell. in l. munus, ff. de V. S plerumque etiam pro onere vſurpatur quod cum remittitur, vacationem præſtat, tàm in rebus mil-*

*millitaribus, quàm in Civilibus, l. 18. ff. eodem, etiam denotat officiũ, vnde munera millitaria nuncupãtur milites munifices, & in Civitatibus municipes vocantur. Paulus in dict. l. munus de V.S. Firmic. lib. 2. cap. 55. interdum munus donum, & præmium ſignificat teſtis eſt Obid. cap. 18. Helane ad Paulum.*

tur. Huiuſmodi eſt iuſtà excuſatio, (C) quæ varijs ex cauſis cæterorum munerum exemplo contingere non dubitamus.

Aut ego perpetuo famam ſine labe tenebo,
Aut ego te potius, quàm tua dona ſequar,
Et quæ ea non ſperno ſic acceptiſsima ſemper,
Munera ſunt author, quæ præcioſſa facit.

(C)

*Inſt. de excuſat. tut in princ excuſatio eſt: alicuius iuſtè cauſe alegatio, ob quã non debet quis ad tutelam vel curam cogi, l. 13. §. vlt. ff. de excuſat l. 14. ff. de confirm. tut. l. 8. de ſuſpect. tutor. l. & ſi 8. ff. rem pupili. Azo. in ſumma, C. hoc tit. Alex. conſil. 173. num. 4. lib. 5. Avend. de exq. mand. 1 part. cap. 19. n. 26*

(A)

*L. propter littẽ 21. § 21. l. ſcirè opotet, 13. § ſcire autẽ, ff h. n. t & fere per totũ tit. ff. & C. vbi infinita iura per gloſ cõcordãtia reperies vidend. Revard. ad l 2. ff. de reg. iur. Petrus Gregor. lib. 12. Syntagmat. iur cap. 4. nu. 2 Loriot. de tutelis axiomate 62. Manc. de tutelis. Connan lib 5 comment. cap. 4. & innumeros alios quos refert Oſſual. in Donell. & alios Inſt. quos tradit Pich in princ. h n tit.*

(B)

*L. teſtamento 11 C. h. noſt tit. niſi non ſit ſuppoſitus iuriſdictioni Magiſtratus apud quem proponenda eſt excuſatio, vt rectè animadvertit Ant. Fab. in Iuriſp. Pap prin. 1. illat. 7. l. 1. § vlt ff. de tut & curat. datis d. l. 13. § vlt ff h. n.*

*tit.*

## II.

SEd denegande excuſationis cauſa non eſt, ſi quis cum plures haberet excuſationes quibuſdã allegatis, eas probare non potuerit. (A) Quinimô aliâs quas non tetigerit, quominus vti poſsit, intra conſtituta tempora non prohibetur, (B) cum excuſatio ſpecies quędã exceptionis ſit, & nemini pluribus exceptio

tio

tionibus vti interdicatur (C) ne quis forte putet ſingulis excuſationibus ſingula temporis ſpatia danda eſſe.

*tit. quod ſi vna excuſationis cauſa reprobata eſt, proponi alia, ſi quæ ſupereſt poteſt, intra tempus. d. l. propter, lit. h. noſt. tit. iuditium vero de propoſitis excuſationibus intra 4. menſes finiendum eſt, l. 38. h. tit. Duar. ad tit de excuſ. lib. 38. tit. 1.*

(C)

*L. nemo 43. ff. de reg. iur. l. 8. de excuſat. tut. & curat. ſuadetur argum. tex. in l. ſed & ſi, ff. de tut. l. final, C. de compenſat. l. ſed & hoc ita, § 1 & l. final de re iudic. tametſi impropriè D.D. excuſationem vocant exceptionem, vt ſentit Bartol. in d. l. ſcirè, § oportet, h. t. cum potius ſit quędam Officij Iudicis imploratio, & proteſtatio in modum actionis Math. Vbeſembeq. in parat. Diodor. Tuld. in Comment Inſt. adhunc noſt. tit. d. l. 13. § ita vero de excuſat. tut. & curat. argum. tex. in l. excuſationis 3. C. eodem Ant. Faber. in Iuriſprud. Pap. princ. 1. illat. 7. tit. 24.*

## III.

SEd cum antiquitus nõ minus â delatione tutelę, quam alterius muneris appellaretur, (A) placuit tutelam, â cæteris muneribus ita ſecernere, vt tutor datus non amplius recta â datione (B) provocaret: igitur ſi quas ſe habere putaret, iuſtas excuſationis cauſas, intra conſtituta tempora apud Magiſtratus

Tri-

(A)

*L. 2. C. de Decur. lib. 10, l. 47 & 11. C. de appellat. Ioann. de Platea in rubric. C. quemad. Civil muner. de qua re vide relatos ab Oſſual. lib. 28. in Donell. cap. 8. lit. C. nec facit, l. nominationes 27. C. de appellat. nec lex. ſi conſtet 12. ff. eodem. Vidend Amaya in dict. l. 2. C. de de Decur. num 24.*

(B)

*L. ſcire 13. in princ. ff. h. tit. hoc enim Divus Marcus conſtituit, quod ius non tàm voluntas conſtituẽtium induxit, quàm neceſſitas expreſſit, non enim appellatur niſi à ſententijs Iudicum. Donell. lib. 3. Comment. cap. 19. & ibi Oſſuald. lit. A. Cujat. in l. 2. § nunc tranſeamus, ff. h. tit. & lib. 9. obſervat.*

*cap.*

*cap. 35. alios refert Amaya vbi ſupra num. 27. tex. in l. vlt. ff. de tutor. & curat. dat. Ant. Faber vbi ſupra illat. 7.*

(C)

*L. ſcire 13. § ſcire etiam, §. vna, ff. h. t. & hoc modo exaudiendi, tex. in l. 4 h. t. l. notores 39. § tutor. ff. de adm. & periculi tut. l. 2. & penult. de tutor. & curat. dat. l. 17. § 1. de appellat. ibi enim non ab ipſa creatione, ſed à reijectione excuſationis intra præſtitutum tempus alegatæ appellant quo ſenſu loquutus eſt. Modeſtinus in l. 16. & l. 13. h. t & Impp. in l. tutoris 18. C. eodem. Vinn. hic. num. 1. Tuld. vbi ſupra cap. 11. Ferrer in C. h. t. num. 16.*

(D)

*L testamento 11. C. de excuſat. tutor. Hoc enim tempore lapſo excuſatio præſcribitur, niſi ob aliquam iuſtam cauſam intra conſtitutum tempus non potuit ſe excuſare, l. 2. § ſi quis iuditio, & § in flum nis, ff. ſi quis cautionibus, l. cui pacto 5. ff. de ſerv. expoſt. Faber vbi ſupra illat. 7.*

Tribunal proponet, à quo eas reijciente (C) appellare demum poterit, nam ſi Præſes Provinciæ audiendum te non putaverit propter præſcriptionem. (D) Quaſi tardius adires, auxilio appellationis tibi indulgendum fore exiſtimamus.

## IV.

NE longior excuſationis, vel proponendæ, vel diſceptandæ tractus vacare diutius tutelam faciat; vtrumque certo téporis limite definitum eſt; Quâm obrem quinquaginta dies (A) decernere legũlatoribus placuit; ſi in vrbe in qua creatur, aut intra centeſsimum lapidem (B) habitaret; ſin vero vltra cêteſsimum milliarium, (C) ſit, tot dies ei indulgentur quot neceſſarij ſint ad iter conficiendum, vicinis millibus in ſingulos dies comuneratis, vltra quos adhuc liberos triginta (D) habiturum non dubitamus.

(A)

*Dict. l. ſcire 13. § illud vero 1. h. n. tit. præfinitum hoc tempus omnibus tutoribus quocumque modo datis. Donel. vbi ſupra cap 9 hoc tempore lapſo excuſationi præſcribitur. Vbeſemoeq in paratil. ad hũc n. t. l. teſtamento 11. C de excuſat tut. l. quinquaginta 38. ff. h n. tit. quod ad conteſtandas excuſationis cauſas datur, per agendo cum negotio ex die cominationis quatuor menſes continui ſunt facit, l. in diẽ ff. de condit. & dem.*

(B)

*L. 1. § 2. de Offiic. Præfect. vrb. l. propter, § vlt. ff. h. n. t. de veteri itinerum per lapidem demetiẽdorum ratione vid que notat Goth. ad l. 21. § 3. h. t. & Cujat. ad d. l. 3. de V. S. ſed innumeris omiſſis præcipuè Guidus Pancirolus in theſau. var. lect. lib. 1. cap. 43. antiquitas lapidem in fine cuiuſlibet milliarij poni conſueverat teſtis eſt locupletiſſimus Plut. in Gracchis.* Intra quintum igitur (inquit) & ſextum lapidem (ſic enim milliaria deſignabãtur) locus erat feſti appellatus, vbi Romani tunc terminus moſtrabatur agri. *Quantũ vero itineris ſpatium quis confeciſſet lapidi erat ſcriptum. Quod Quintil. lib. 4. Inst. orat. cap. vlt. expreſſit his verbis:* Reficit quoque audientem certo ſingularum partiũ fine nõ aliter, quàm facientibus iter multum detrahunt fatigationis notata in ſcriptis lapidibus ſpatia. *Alios inſuper lapides parum inter ſe diſtantes ex vtriuſque viarum parte, C. Gracchus diſpoſuit, vt ex illis facilius, & ſine ſaltu in equos eſſet aſcenſus, vt ſcribit Plutarch. vbi ſupra, l. propter littem, h. n. t. Briſon. lib. 3. antiquit. Rom. Gæd. in com ad l. 3. num. 7. de V. S. quod etiam Marcialis notavit.*

Rura nemuſque ſacrum dilectaque iugera muſis,
Signat vicina quartus ab vrbe lapis.
idem alibi.
Ad lapidem torquatus habet prætoria quartum.

(C)

*Milliarium, ſivè milliare, à mille paſſibus dictum eſt, quod quia lapidibus diſtingui ſolet ſæpè dicimus ad vigeſſimum lapidem, hoc eſt ad vigeſſimum milliare. l. 154. de V. S. etiam ſummitur pro columna aurea in capite Romani fori ſtatuta de qua meminit Plin. cap. 5 & Tacit, lib. 11. hiſt.*

(D)

*Vt declarat Modeſt. d. l. ſcirè 13. § 1. ſic tamen, vt ſemper qui longius abeſt non minus habeat quàm quinquaginta dies, ne deterioris conditionis ſit qui longius habitat, quàm qui intra centeſſimum milliarium eſt.*

L. cen- Cæ-

## V.

CÆterum quoniam hos dies ab aliquo initio progredi neceſsê eſt, vt dinumerentur, placuit hos cedere eo die quo quis vtiliter datus eſt; (A) itaque notum fieri debet ei, qui ad munera tutelę vocatus eſt: alioquin ſatis natura excuſatus eſt, qui ad ſe excuſandum nō venit ſi ignoravit. (B) Neque ſatis eſt intra hæc tempora, adire tutorẽ, Magiſtratum ſi quas apud eum excuſationes teſtari oportet nō alegaverit (C) nam id perinde eſſe ac ſi non veniſſet, ſine dubio affirmamus.

(A)

*L. 3. de V. S. l. 13. § quinquaginta, l. 6. C. eodem. Sed intra quinquageſſimum diem à tempore ſcientiæ computandum, d. l. ſcire, § 2. h. n. tit. (nā hoc tempore lapſo excuſationi præſcribitur) atque eo tempore ſi ceſſent ſuo periculo ceſſant. l. 1. § 1. ff de adm. tut. vel curat. Niſi valetudine, aut in curſu hoſtium prædonumvè aliavè ſimili cauſa intra conſtituta temporæ non venerint l. 13. § ſi enim h. n. t. quia nemo caſum fortuitum preſtaræ cogitur, l. 2. §. ſi quis iuditio, & ſeqq. § vis fluminis, ff. ſi quis caut. l. contractus 15. de reg. iur. Ant. Faber. in Iuriſp. Pap. tit. 24 princ. 1 illat. 8. idẽ illat. 7. princ. 7. Donell. lib. 3. Com. cap. 9. vbi Oſſuald. & hoc tempus eſt, ex poſt facto continuum, ab initio vero vtile cum non incipiat currere niſi à die cognitionis, vt de quadrienio illo dici ſolet quod Iuſtinianus induxit, & ſubſtituit in locum anni vtilis, qui dabatur olim ad petendam reſtitutionem de quo in l. vlt. C. de temp. in integr. reſtit.*

(B)

*L. cum ſex 55. de ædil. ædicto. Neque enim ſanè æquum eſſet currere tempus ignoranti cum nihil poſit imputari, l. ſuper, § interdictum, ff. quod vi aut clam, l. ſi plures de bon. poſ. l. contra. C. de inofficioſ. teſtam. l. mariti, § quinquenij ad l. Iuliam. de adult. l. ſed ſi conſenſit, § ignorantia de contrah. empt. Venul. de diverſ. temp. præſcrip. l. penult. in prin. Iul. Pac. cent. 8. queſt. 81.*

(C)

*L. tutores 18. C. eodem aut viva voce, aut in ſcriptis oblato libello d. l. ſcire, § oportet, h. tit. neque obſtat l. 25. h. n. t. vbi ſe excuſare per libellos tutor non*

po-

*poteſt, ibi enim ſignificatur rem de plano, ſine cauſæ cognitione tranſigi non poſſe. Vid. Oſſual. lib 3. cap. 9. litt. S. ita Duar. ad hunc tit. ibi: Totum negotium non poſſe per agi per libellum, vt ei ſtatim ſubſcribat Magiſtratus Loriot. de tutel. axiomat. 60. Cujat. ad l. 7. de reg. iur. Ant. Faber in Iuriſp. tit. 24. part. 1. illat. 7.*

## VI.

TAndem licêt cuilibet excuſare ſe volenti permitatur, non ſemper expedire id facere arbitramur. Vndè ſi quis tutor teſtamẽto datus ſit, cui eodem teſtamẽto quid legetur, ſi ſe excuſaverit legatũ amitit (A) nō quia ius hāc pęnā ſtatuat ſe excusāti, (neq; enim quod iure fit, eodem iure pœnam meretur.) (B) Sed quia illud fortaſe reliquit teſtator, vt illum ad ſuſcipiendum onus tutelę invitaret. (C) Quam ob-

(A)

*L. 5 §. amittere, ff. de his qui vt indig. l. vnica, §. pro ſecundo, C. de cad. toll. nec enim audiendus eſt, qui lucrum quidem amplectitur, onus autẽ recuſat. Conſonat tex. in l. amiciſſimos 36. h. t.. Nec ſolum ſubmovetur pater à legato qui excuſationis iure mandatam teſtamento tutelam ſuſcipere noluit, ſed ab his etiam quę liberis eius contemplatione ipſius relicta ſunt. Ant. Fab. in Iuriſp. Pap. princ. 1. tit. 24. illat. 10. l. filiofamilias 42. ff. condit. & dem l. ſed & ſi plures 10. § in adrogato. ff. de vulg. & pup. ſubſt.*

B)

*L. Cracchus, C ad l. Iul de adult l. ſancimus de adm tut. l. nemo de reg. iuris, cum ſimilibus, l. quoties de rei vindic, & l. factum ff. de his qui pro non ſcript. argument. tex. in l. 1. C. de ſecund. nupt. Donell. lib. 3. Comment. cap. 9. vbi Oſuald. lit. Z.*

(C)

*L. Neſennius, § 1. de excuſat. tut. Donell. lib 3. cap. 9 vbi Oſſual. lit. Z. ibi: Nam teſtator illud reliquiſe cenſetur, vt illum ad tutelam invitaret, fidemque remuneraretur alioquin non relicturus, l. 36. in prin.*

h.